721
k

GUALTERI CHARLETONI

INQUISITIO PHYSICA

DE

Causis *Catameniorum*,

&

Uteri *Rheumatismo*.

In quâ ἐν παρέργῳ probatur

Sanguinem in animali *fermentescere* nunquam.

Ὃς ἄριστα γνῷς, ἄριστα θεραπεύει.

LONDINI,

Impensis Gualt. Kettilby, *ad Insigne Capitis Episcopi in Cœmeterio Divi Pauli*, 1685.

15

MVSEVM
BRITAN
NICVM

40 K

APPROBATIO.

APPROBATIO.

INquisitionem hanc Physicam *de causis Catameniorum, &c. à* D. D. Gualt. Charletono, amicissimo *Symmista* nostro & *Collega*, conscriptam, utiliter imprimi posse judicamus.

Tho. Witherley, *Eques Auratus, & Præses.*
Sa. Collins, *Regestarius,*
Tho. Burwell,
Pe. Barwick,
Tho. Millington, *Eq. Aur.*
Humph. Brooke.

} *Censores* } *Regalis Collegii Medicorum Londinens.*

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Scripti hujus* occasio & consilium.

II. *Uteri* nomina *varia, tam apud Græcos, quàm apud Latinos usurpata: eorúmq;* etyma & rationes.

III. *Uteri muliebris, propriè sic dicti,* fabrica.

IV. *Catameniorum causa* finalis *investigatur.*

V. *Veterum sententia de catameniorum* circuitûs *causâ repudiatur.*

VI. *Repudiatur etiam novum* fermenti *uterini commentum.*

VII. *Autoris de catameniorum causâ* efficiente σοχασμὸς.

VIII. Rheumatismi *uterini genealogia.*

Relegenti mihi cursim impressas opusculi hujus paginas, paucula ista typothetarum notare contigit παροράματα, à *Benevolo Lectore* nunc emendanda, & excusanda.

Pag. 1. Lin. 14. Leg. *gemitus & suspiria.* p. 7. l. 5. leg. *nihil sine summâ prudentiâ.* p. 24. l. 22. leg. *concedatur discrimen; id tamen.* p. 38. l. 22. leg. *de vaccino utero.* p. 42. l. 2. leg. *invenit ullum.* p. 89. l. 14. leg. *cùm succi nutritii, tum sanguinis.* p. 94. l. 27. leg. *aliàs.* p. 97. l. ult. leg. *disertim affirmat.* p. 152. l. 4. leg. *inter meiendum.*

Cætera, si quæ sint, facilè per se *Lectoris* humanitas emendabit.

Caput I.

Scripti hujus Occaſio & Conſilium.

QUid eſt homo? ſomnium umbræ, reſpondet *Pindarus*. Quid eſt homo? ſimulacrum quoddam, dicet *Sophocles*. Quid eſt homo? ipſa calamitas, dicet *Herodotus*. Quid eſt homo? occaſio miſeriarum, dicet *Philemon*. Quid eſt homo? folium caducum, dicet *Homerus*. Quid eſt homo? imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, luſus fortunæ, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina; præter illa, nihil aliud, niſi pituitæ aliquantulum & bilis, dicet & jam olim dixit *Magnus Stagirita*: qui proinde fertur jam tum morti vicinus, inter gemitus & ſuſpiria hanc effudiſſe querelam. *Fœde hunc mundum intravi, anxius vixi, perturbatus egredior.* Quid ſapientius, ſi dixit? aut quid verius, etiamſi non dixit? Quid eſt homo? Ψυχάριον βῆμα βαστάζον νεκρὸν, inquit Philoſophorum, nedum Imperatorum ſanctiſſimus *Marcus Antoninus*. Meritiſſimè igitur exclamat *Petronianus Trimalchio*;

Heu, heu nos miseros! quam totus homuncio nil est!

Ita est sane.

Bulla fumus, levis umbra sumus lususq; Deorum.

Nascimur & morimur; quinimmò nascentes morimur; & si *Euripidi* credimus,

Ὁ βίος ἀληθῶς, ὁ βίος, ἁπλᾶ ξυμφορά.

Si cum *Plinio* benè calculum ponamus, felicitatis vitæq; humanæ summa huc redit. "Incertum ac fragile nimirum est hoc munus Naturæ, quicquid datur nobis: maligum verò & breve etiam iis, quibus largissimè contingit, universum utiq; ævi tempus intuentibus. Quid quòd æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisq; spatio vitæ suæ vivit? Pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent; non senectæ in pœnam vivacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata mors, ut nullum frequentius sit votum. Consultò itaq; pronunciavit Oratorum princeps, "Neminem esse, qui spiritum ducat, non miserum, neminem verè felicem: parumq; sapere eos, qui hominem, luendorum "scelerum.

"scelerum causâ natum, felicem aut beatum "audent nominare. Nostra enim quæ dici- "tur vita, mors est: nec unquam vivit ani- "mus, nisi compage solutus corporis, liber "æternitate potiatur.

Nobis, qui *Viri* sumus, quiq;, nescio qui- bus sexûs nostri prærogativis, ac dotibus in- genii superbimus; nobis inquam, quid aliud non mater, sed veriùs noverca Natura tradi- dit, præter corpus fragile, infirmumque; ac animum & in molestiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem?

Nec verò alia est *fœminarum* conditio: aut enim iisdem, quibus viri, aut parum certè diversis & molestiis, & angoribus vex- antur. Nam & iisdem animi perturbation- bus, mentisq; erroribus objiciuntur: eóq; miserior illarum status est, quo mollior na- tura, & ad propulsanda incommoda, cala- mitatesq; perferendas infirmior. Permulta præterea in hoc genere sunt, quæ (decori ac verecundiæ causâ) reticere præstat, quàm edere. Sed magna certè vel hoc uno nomine fœminarum miseria est, quòd dum viros in ærumnarum angustiis constitutos placid- consuetudinis suæ solatio laborant sublevare; variasq; tum conservandi, tum propagandi generis humani gratiâ, molestias sustinent; variis morbis obnoxiæ fiunt. Neq; enim eos tantùm morbos, quos viri, sæpe & ipsæ pa- tiuntur: sed & plures, sed & peculiares,

sexuiq; nostro ignotos perferre coguntur. Hincq; factum est, ut ex Deorum filiis & Antiquis, & Recentioribus haud pauci, ipsâ hac sequioris sexûs infelicitate humaniter commoti, peculiares libros de curandis mulierum morbis conscriberent.

At verò undenam Ilias hæc malorum misellis mulieribus suboriatur? indubiè non aliunde quàm ex *utero*. Quasi & mors ipsamet in vitæ seminario conciperetur: ortumq; suum, perinde ac animalia, duceret ex ovo; aut quasi Natura haud aliter potuisset humani generis perpetuitati prospicere, quàm seminando morbos, matrésq; familiarum innumeris periculis exponendo. Adeo verum est *Antiphontis* illud; Ἔνθα τὸ ἡδὺ ἐστὶ πλησίον πῦ καὶ τὸ λυπηρόν: quod eleganter ita vertisse videtur *Petronius Arbiter*; Apes ideo pungunt, quia ubicunq; dulce est, ibi & acidum invenies. Sub durissima sanè fatorum lege nasci videntur fæmellæ. Pereunt sæpe, nisi pariunt; sæpiùs autem pariendo pereunt; animas simul ac fœtus enitentes, vitamq; amittentes, cùm dant. Sive perfruantur, sive careant virorum consortio, in pari versantur discrimine: nec paucioribus malis objiciuntur, quæ semper steriles manent, quàm quæ liberorum multitudine abundant. Sapienter itaq; magnus Medicinæ parens *Hippocrates* (*lib. de locis in homine*) Αἱ ὑστέραι, inquit, πάντων τῶν νοσημάτων αἰτίαι εἰσίν; *Uteri omnium*

rium morborum [*muliebrium*] *sunt causæ.*

Oraculi hujus compendium & momenta cùm ego diu multumq; animo expendissem; omnesq; morbos, atq; symptomata omnia, quibus, ex utero duntaxat affecto, exortis, pulcrior quidem & venustior, sed vel ipso hoc nomine infelicior sexus peculiariter infestari solet, viritim lustrassem: tandem utiq; in prælongo *horum* catalogo nullum comperire potui, aut frequentius, aut diuturnius, aut curatu difficilius, ideoq; deterius, *uteri Rheumatismo*; qui eidem *Hippocrati* passim ῥόος γυναικεῖος, & ῥόος λευκὸς; Latinis, *fluor albus dicitur.* Hinc mecum statui in fluoris hujus *naturam*, *fontem*, *hyparxin*, *species* diversas, harumq; peculiares *causas* tum *proximas* tum *antecedentes*, animi attentione quâ possem maximâ, sepositò interim omni præjudicio, inquirere: idq; eo tantùm consilio, ut è *Democriti* puteo tandem aliquando erutis ejusdem primordiis veris, certior atq; facilior, quàm quâ hactenus itum est, inveniretur via, ad affectum adeo molestum fœminis, virisq; adeo ingratum, appropriatis remediis curandum.

Quousq; fuerim hac demum inquisitione progressus; quàm valida sint ad fidem sibimetipsis comparandam, quibus usus sum, argumenta; & quo successu nonnunquam recesserim à vulgari Medicorum doctrinâ, de uterini hujus depluvii causis & materiali & efficiente:

efficiente: de his, inquam, omnibus tute, *Lector cordate*, evolutis opusculi hujus foliolis, facilè dijudicabis. Non pauca interim legenti tibi occurrent à Majoribus aut prætermissa, aut non satis explicata, aut non intellecta. Occurrent etiam ab illis *dissentanea* quidem; sed quæ tamen ut veris rationibus stabilita, ita & novis ævi hujus illuminati Anatomicorum inventis sint comprobata. Sic enim decet investigatorem veri, non solùm quæ legerit, sed & quæ secum ipse meditando considerat & contemplatur, usúq; tenet cognitione dignissima, in communem generis humani fructum proferre. Quid multa? Consilium honestum nullâ indiget apologiâ: &, docente *Pindaro* (*Nem. Od.* 7.)

Ἐυώνομον ἐς δίκαν
Τρία ἔπεα διακρίσει.

CAPUT

CAPUT II.

Varia uteri nomina, *tam apud Græcos, quàm apud Latinos uſurpata: eorumq;* etyma & rationes.

AD concipiendum, conſervandumq; tum ſemen, tum fœtum, UTERUM in fœminis condidit Optimus ille, Maximuſq; Protoplaſtes; qui in univerſitate rerum nihil [illegible] ſine ſummâ prudentiâ, nihil niſi ad neceſſarios ac multifariè convenientes condidit uſus. Partis autem hujus tanta, tamq; conſpicua dignitas eſt; ut licet ad individui conſervationem non ſit neceſſaria (ὅλη γὰρ, autore *Æginetâ*, ἡ μήτρα πολλάκις ἰσορρέπως ἀφαιρεθῆναι, καὶ θάνατον ἐπὶ τούτοις μὴ γίνεσθαι) ad ſpeciei tamen æternitatem, fœtuſq; γένεσιν καὶ πλήρωσιν, maxima eſt ejus nobilitas. Cujus rei probè conſcii Veteres, plùra utero, quàm ex cæteris animalium partibus ulli, *nomina* impoſuére, quibus varia ipſius attributa, variaſq; dotes ſapienter indigitarunt. Scilicet

Antiquiores *Græci* modò ὑστέρην καὶ ἀγγεῖον κυητόριον, i. e. *vas fœtum conſervans*; modò δελφύν, quòd *germanos procreet fœtus*, dixerunt. Medicorum Archiſophos *Hippocrates* (in *Prorrhet.*) χωρίον ἐν ᾧ συλλήψις ἔσι, *locum in quo fit conceptus*: & (2. *Epidem.*) γονὴν,

genituram: & (6. *Epidem.*) ἀλγεῖον, quasi *conceptaculum*, πρὸς τὸ ἄγειν, scil. ad res ferendas idoneum, vocat: aliis autem locis μήτραν nuncupat, & ὑστέραν. Μήτραν quidem, i. e. *matrem*, matricemve, ὅτι μήτηρ ἔσται τοῦ ἐν αὐτῇ, vel ἐξ αὐτῆς γινομένων, quia *mater est fœtuum, qui in ipsa, vel ex ipsa nascuntur*; ἢ ὅτι τὰς ἐχούσας αὐτὴν μητέρας ποιεῖ, vel quòd *matres efficiat, quæ ipsam habent*: ὑστέραν verò, διὰ τὸ ἔσχατον κεῖσθαι τῆς κατὰλγυον, quia *situ viscerum ultima seu infima* est. *Aristoteli* sæpissimè (*de Generat. animal.*) φύτευμα dicitur, ἀπὸ τοῦ φύεσθαι, quoniam, si benè excolatur, statisq; temporibus sementem accipiat, aliquid *fructûs* perpetuò profert. *Platoni* ζῶον ἐπιθυμητικὸν, i. e. *animal concupiscentiæ princeps*: forsitan quòd libidinem suam explendo animal generet. *Animal* autem dixisse videtur ad mentem *Pythagoræ*, qui uterum animal per seipsum distinctum, suiq; planè juris nominarat. Hos ad verbum usq; secutus *Aretæus* itidem definit, *viscus propè animatum, & velut animal quoddam in animali*: suo quippe motu agit, nec imperio regitur mentis. Adhæc, apud *Aristophanem* (*in Acharn.*) vocabulum χοίρου reperitur usurpatum ad naturalia virginis denotanda. Unde *Varro* etiam (*de re Rust. l. 2. c. 4.*) Nam & "nostræ mulieres, maximè nutrices, naturam "quâ fœminæ sunt, in virginibus appellant "porcum: significantes eas jam esse dignas

"insigni

" insigni nuptiarum; nam antiquissimus in
" Hetruria mos fuit, ut nova nupta & novus
" maritus primùm porcum immolarent.
Fuere, qui eundem ἐσχάραν, *focum* & *caminum* vocitarent, *Hesychio* teste: fortè quòd inibi primùm & amoris faces, & ipsius etiam vitæ igniculi accendantur. Cæterùm à plerisq; veterum, Naturæ arcana majore verborum verecundiâ & honestate interpretantium, αἰδοῖον γυναικεῖον nominatur.

Nec minorem apud *Latinos* reperire est admirandi hujus visceris nominum varietatem. Aliis enim *cymba*, & *navis* dicitur; ab intùs recondita cavitate: Κύμβος quippe Græcè, *Hesychio* interprete, signat κοῖλον μυχὸν, *cavum recessum*. Ad quam significationem facetè alluisse videtur *Julia Augusti* filia, quum dicebat, ideo se *Agrippæ* marito parere quàm simillimos liberos, quòd nunquam nisi plenâ navi vectores tolleret. Aliis *Concha*; quòd priscem testacei generis *conchæ Veneris* dictam oris figurâ quadantenus repræsentet. Aliis *porta*; quia uti per urbium portas ingredi solent cives, ita & nemo non mortalium ex uteri angustiis in vitæ hujus lucem subintrat. Aliis *Lanuvium*; vel à molli *Lanugine*, qua puellarum obtegitur pubes; vel rectiùs à *Lanuvio*, quæ urbs erat Romana, in dextro viæ Appiæ latere, & in ea *Coleorum* familia. Unde acutissimum illud *Ciceronis* (*epist. famil.*) dicterium; *Honesti*

neſti quidem Colei Lanuvini, Cliterini non *honeſti.* Apud laſciviores *Poetas*, quibus præcipuè verborum petulantiâ uti olim licebat, interdum *Cunni* nomine occurrit hæc pars, quâ puellæ fœminæ ſunt: inde ſic dicta, quia hâc egeritur τὸ κύημα, hoc eſt, κύημα ſive fœtus; hoc autem à κύειν ſive κυεῖν, quod *pregnantem eſſe*, utero geſtare ſignificat. Nonnullis verò Grammaticis alia hæc magis arridet appellationis hujus derivatio. *Cunnus* eſt, inquiunt, à κύννος, aut κυννεῖν, *Heſychio* deflectente; qui κυννεῖν per συνιέναι explicat. Rationem originis iſtius addere, mihi ſanè neq; neceſſarium videtur, neq; honeſtum. Ad alia igitur, quæ necdum attigimus, ejuſdem partis vocabula tranſeamus, in Romanorum eruditis paſſim obvia monumentis. Ubi *hortum, ſaltum clitorium, interfœmineum, virginal, vomerem, ſulcum, larvam, annulum*, &c. omnia ad indicandum uterum, ſed tralatitio ſenſu, uſurpata invenimus. Quæ tamen haud tanti ſunt, ut hîc explicandis immoremur ſingulorum ad rem ſignificatam analogiis: maximè cum ex jam recenſitis appellationibus clarè pateat, ſummam eſſe partis ejus dignitatem, cui Antiquis ſapientiæ Conſultis viſum eſt, tot tamq; præclara nomina imponere; idq; aliâ nullâ credo de cauſâ, quàm ut nobiliſſimum illud ſacrarium, in quo maxima Naturæ myſteria, generiſq; humani primordia patrantur, in-

ſigni

signi prosequerentur honore. At verò ad Veterum præconia nil opus est ut confugiamus. Nam etiamsi omni ab ævo altum fuisset de organi hujus præstantia silentium: ipsa tamen fabrica ejus, in qua summi Numinis singulare artificium adeò elucet, vel per se satis esset, ad incutiendam attento eam animo contemplantibus admirationem. Quod ut certiùs constet, proximo loco expedit, organicam uteri conformationem curiosis oculis perlustremus.

CAPUT

CAPUT III.

Uteri propriè ſic dicti Fabrica.

NOn mihi hîc animus eſt generalem contexere hiſtoriam partium generationi in muliere inſervientium. Id enim dudum jam ab accuratiſſimis pariter atq; feliciſſimis ſæculi hujus Anatomicis *Swammerdamo*, & *De Graaf* ex profeſſo, & ſummâ cum fide, ac immortali utriuſq; glòriâ factum: nec patitur præſens inſtitutum, ut ultra præſcriptos mihi terminos expatier.

Quippe apud me conſtitui, diligentiùs paulò quàm à vulgo Medicorum hactenus factum fuerit, in fœdi illius, ſequioriq; ſexui hodie nimis infeſti morbi, qui ῥόος λευκὸς *Hippocrati*, Latinis *fluor albus* mulierum dicitur, naturam, originem, cauſaſq; & diſcrimina inquirere; idq; eo tantùm conſilio, ut tandem aliquando ad veram perveniatur eundem curandi rationem. Ad hunc autem ſcopum dextrè nobis feriendum ſufficiet, ſi leviter tactis partibus aliquot ad mulierum genitalia ſpectantibus, ipſius uteri propriè ſic dicti *ſubſtantiam* (utpote in quâ præcipuè morbus iſte ſedem ſibi ponere videtur) & *contexturam* præ cæteris contemplati fuerimus. His enim ſemel perſpectis, haud erit difficile, tum fontem ipſum unde hic fluxus ſcaturit, tum cana-

canaliculos per quos deinde extrorſum derivatur, vindicare ab obſcuritate. Rem itaq; ipſam aggredior, haud exigua ſpe animatus.

Mulieri uterus in *hypogaſtrio*, in ampla ſcilicet abdominis cavitate, veſicam inter & inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, *ſitus* eſt : ne oſſium duritie lædatur tenellus embryo. Eſtq; ſanè locus ille tum ad concepti fœtûs incrementum, tum ad perfecti enixum commodiſſimus, itemq; ad ejuſdem interea ab externis injuriis tutelam ac conſervationem ; quippe ab anteriore parte, ab oſſe pubis ; à poſteriore, ab oſſe Sacro ; à lateribus, ab oſſibus Ilion, tutiſſimis tanquam mœniis circundatur. Mulierum *vacuarum* uterus vix oſſis pubis, & veſicæ altitudinem ſuperat : in *prægnantibus* verò ad Iliæ uſq; aſſurgit ; nunc dextram, nunc ſiniſtram partem occupans, pro fœtuum ratione geſtorum.

Magnitudinem uteri variat non ætas ſolùm, corporiſq; proceritas ; ſed & Veneris uſus, & fœtura : nam enixæ quàm gravidæ minor eſt ; & virginibus, vetulis, ac ſterilibus, quàm utero gerentibus. In recens natis obſervarunt Hyſterotomi, uterum aliquando ℥j. aliquando ℥j. ſß. pependiſſe : in vetulis verò, & virginibus, jam viro maturis, paris fuiſſe magnitudinis, & utplurimum ab uncia unâ ad ſeſquiunciam ponderaſſe ; deniq; in validioribus, & eis quæ ſæpiùs pepererant, aut

aut frequentiùs Veneri indulserant, majorem quidem evasisse, rarò tamen duas excessisse uncias. Cui magnitudinis varietati, uteriq; distentioni solers Natura prospiciens, ipsum in pelvi collocavit; quæ vel ideo in mulieribus, quàm in viris amplior existit. Eidem distentioni plurimum favet quoq; ipsamet uteri

Substantia, quæ membranea est sive nervea; ut claudi ad conceptionem, dilatari ad augmentum fœtûs, rursumq; contrahi ad excluſionem ejusdem, secundarum, & rerum quæ præter naturæ institutum imbi continentur, possit: hoc enim soli membranæ conceditur. Minùs tamen candida hæc substantia est, quàm cætera corpora, quæ communiter nervosa dicuntur; quia carneum quid sibi intertextum habet, maximè in uteri fundo, & parte illius externâ; in collo verò, ejusq; parte internâ, magis nervea, i. e. durior & albidior apparet. *Plicis* haud paucis donata est, quæ in gravidis expanduntur, ad uteri extensionem; contrahuntur verò excluso fœtu, & in vietis. Constare videtur propria hæc uteri substantia ex carnoso quodam fibrarum contextu, qui, concepto fœtu, affluentium humorum ubertate, spongiæ in modum, imbutus, & cum maceratis pariter membranis, laxatus, mirabilem in gravidis distentionem admittit: simulq; (quod Antiquis planè incognitum fuit) quo magis

ab

ab augescente fœtu dilatatur, eo magis, indies crassior, carnosior, & robustior evadit, ut postremis mensibus, duorum penè digitorum crassitiem æquet. Et tamen certissimum est, tantam uteri molem, intra duas vel tres à partu hebdomadas, per celebrem lochiorum expurgationem, ad pristinam magnitudinem redire. Uterus enim statim ab excluso fœtu cum secundis, sese sensim recolligit, cervicem arctat, atq; interiora versùs in locum pristinum se retrahit: partimq; per diaphoresin insensibiliter minuitur, partim in lochia solvitur: dum interim partes omnes vicinæ, ossa, venter, totáq; regio hypogastrica simul constringuntur & firmantur. Per *lochia* emanat primò sanguis purus, postea sanios us, recentis carnis loturæ similis; deinde ichorosus. Mulierculæ nostræ *lactis proventum* nominant, cum lochia non ampliùs sanguine tincta conspiciuntur; forsan quòd eodem tempore lac è mammis copiosius & salubrius scaturiat, & lochia tunc minui, & exsiccari incipiant: utpote succo alibili ab utero jam ad ubera translato. Mutationes hæ admiratione quidem dignæ sunt, nec tamen digniores, quàm reliqua Naturæ opera: *Jovis* enim plena sunt omnia, & naturæ Numen præsens ubiq; cernitur.

Intercedit eadem uteri substantia, triplici fibrarum genere pertexta, *Membranas* duas (quatuor nonnulli describunt) quarum exterior,

rior, *Communis* dicta, omnium quæ à peritonæo perhibentur oriri, crassissima est: interior verò, quam *Propriam* nominant, reliquas totius ventris membranas crassitie superat, ortum ducens ab internâ uteri substantiâ, cui tam arctè annectitur, ac si ex iisdem fibris in planitiem complexis constaret; in fundo uteri utplurimum glabra & lævis, in menstruatis (forsitan à tubulorum mox describendorum prominentibus orificiis) parùm aspera; in cervice autem admodum rugosa, multisq; foraminulis pervia. Utriusq; augetur, minuiturq; crassities, non modò per ætatis discrimina, sed etiam per mensium tempora & conceptuum: puellis nimirum tenues existunt, fluentibus jam catameniis crassiores; crassissima his quæ in utero gesserunt; prægnantibus non ampliùs membraneæ, sed totæ ferè carnosæ ac fungosæ, ad instar spongiæ. Per utramq; etiam discurrunt varia vasorum genera; *arteriæ*, scil. *venæ*, *nervi*, *lymphæductus*, & *tubuli* quidam utero peculiares.

Arteriæ partim à *Spermaticis*, partim ab *Hypogastricis* exoriundæ, ad uteri latera anfractuosè collocantur, varios hinc inde furculos emittentes. Quorum aliqui anteriorem, alii posteriorem & internam partem circumvoluto & serpentino ductu perambulant: inter se interim non uno loco per mutuas anastomoses communicantes. Quod facili

facili ac aspectu jucundissimo manifestum fiet experimento, si alterius lateris arteria *Spermatica* vel *Hypogastrica* infletur: alterius namq; lateris arteriæ dicto citius intumescent. Utrinq; non recto, sed flexuoso ductu substantiam uteri perreptant; tum ut majorem utero inferant calorem, tum ut minori ruptionis periculo, graviditatis tempore, distendi possint. Utriusq; originis innumeræ ferè arteriolæ uteri tubulos ingredi, ibidemq; terminari videntur; sed usq; adeo exiles, ut sine Microscopii auxilio vix discerni queant. Illud etiam notatu perjucundum, duplo vel triplo plures, & majores, magisq; flexuosas arterias per uterum ipsum, quam per vaginam serpere: eo indubiè consilio, ut non nutriendo magis, ast magis calefaciendo utero inserviant.

Venarum pariter altera derivatur a *Spermaticis*, ab *Hypogastricis* altera: illa minor, hæc amplior; illa descendit, hæc ascendit; illius rivuli cum hujus alveolis coeunt, eaq; ista communio in gravidis, & quibus fluunt, aut fluxuri sunt menses, magis conspicua. Excurrunt ambæ inter duas uteri tunicas, sed *Spermatica* exilioribus ramis uteri substantiam elutriat: *Hypogastrica* non modo ad externam, sed & ad internam, tum uteri, tum cervicis faciem, rivos ampliores diffundit. Utriusq; *usus* idem est, scil. quem in uterum effuderunt arteriæ sanguinem, inde

abſorbere, inq; *venæ cavæ* aſcendentem truncum abſportare: quemadmodum omnibus notum eſt, qui perpetuum ſanguinis per omnia corporis loca circuitum norunt.

Uteri vaſa, quæ jam deſcripſimus, non ſemper eodem ſeſe modo habere, ex Anatomicorum obſervationibus conſtat. In gravidis partui jam tum appropinquantibus, in tantam amplitudinem dilatata conſpexit accuratiſſimus Naturæ arcanorum ruſpator, *Regnerus de Graaf*, ut facilè digitum in eorum cavitatem immitteret: quæ tamen, exſiccato lochiorum fluxu, ita denuò in ſe colliguntur & coarctantur, ut quindecim plus minus dierum ſpatio, cum utero priſtinam recuperent exiguitatem. An menſtruatis etiam ejuſmodi mutatio contingat, per Anatomica experimenta nondum (quod ſciam) conſtitit. Rationi tamen conſentaneum videtur, utriuſq; generis vaſa, præſertim arterias, ſub fluxûs menſtrui tempus, aliquantum ab æſtuante ſanguine diſtendi: illudq; extra omnem dubitandi aleam poſitum eſt, in uteri vaſis nonnunquam polypos reperiri, & tantos utiq;, ut illorum canales ad diſtentionem uſq; adimpleant; quin & in ſchirroſos, nec unquam ſanabiles, degenerent tumores, qualium exemplis Medicorum plena ſunt monumenta.

Lymphæductibus præterea ſuis gaudet uterus, qui ab ipſo emerſi, externam ejus ſubſtantiam

stantiam perreptant, in progressu sensim coeuntes, rivulorumq; in modum augescentes, donec ad Chyli Lymphæq; *commune receptaculum*, ubi sese exonerant, perveniant. Sunt, qui vascula hæc pro venis *lacteis* descripserint; indubiè aliquali, quæ utriq; genieri interest, similitudine decepti: necdum enim liquet, ullas venularum propagines *lactearum* ad uterum pertingere.

Sparguntur in uterum qucq; *Nervi* complures, partim à *sextâ* (secundum veteres) cerebri conjugatione, partim ab infimo in abdomine plexu nervorum *Paris vagi* & *Intercostalis*, (ad *Willisii* mentem in *Neurologiâ*) partim ab ossis *Sacri* paribus prodeuntes; quorum multi ad uteri cervicem & vaginam, ut & ad fundi partem inferiorem (unde mira utero & cerebro, præsertim postico Συμπαθεία, magnusq; δια τ συνεχείας consensus) ad fundi partem supremam pauciores, iiq;, retis ad instar, mutuò impliciti, feruntur. Tanto nervorum apparatu ornari uterum censeo, non solùm ut exquisiti sensûs prærogativâ, sed etiam ut graviditatis tempore, uberiori succi alimentaris (in fœtûs alimoniam) affluentiâ gaudeat, perfruatúrque.

Præter hæc vasa, quæ reliquis etiam partibus organicis ferè communia sunt, in utero Mulieris Natura ἰδίως sive peculiariter construxit quoq; *Tubulos* quosdam, sive *nerveos*, sive *membraneos*: qui in non gravidis quidem

dem exiliſſima, ſed inflato fortiter ſpiritui pervia. & in gravidis ſatis conſpicua habent oſcula, in uteri cavitatem hiantia; & in quibus maxima pars capillarium uteri arteriolarum terminari videtur. Hos tubulos ipſémet aliquando in mulieris cujuſdam octavo geſtationis menſe vitâ functæ diſſecto utero conſpexi: eorumq; exiſtentiam & Cl. *Franc. Bayle* (in *Diſſertat. Medic.* 1.) confirmat, & Anatomicorum princeps *Marcellus Malpighius* (in Epiſtola ſingulari ad Ornatiſſ. D. *Jacob. Sponium*, Anatomiæ Lugduni Galliæ Celticæ Profeſſorem) indigitaſſe videtur his verbis, —— *Exteriùs fibræ carneæ in faſciculos coagmentatæ, & reticulariter implicitæ uteri ſtructuram componunt ita, ut ipſius etiam interior moles ſit lacertorum congeries & complexus, qui variam ſortiuntur inclinationem. Inter exaratas carneas fibras copioſæ extenduntur pelliculæ, ſeu molles tunicæ, ſupra quas ampli ſinus ferè innumeri, vaſorum inſtar, per longum excurrunt; qui in diverſis planis ſuperlocati, frequentibus oriſiciis ditantur, quamcunq; peripheriam ſpectantibus, unde inter proximos ſinus mutua ſit anaſtomôſis. Horum ſpeciem in mammarum tubulis, & in pene habemus; in his nonnihil ſanguinis reperitur, ita ut videantur venarum diverticula, vel ſaltem ipſarum appendices. Non longè ab his excurrunt ſanguinei ſurculi, non diſpari ritu ac in liene accidit.*

Interior

Interior uteri substantia, avulso chorio & placentâ, musculosa occurrit, vario lacertorum complexu excitata, & à rimulis sanguinea vasa in surculos divisa promit. Huic uteri superficiei, graviditatis tempore, pelliculæ quædam adnascuntur, quæ chorio præcipuè, & placentæ connectuntur: hæ molles sunt & mucosæ, facilèq; lacerantur. Ab his rete quoddam sulciri & produci videtur, quod cinereis & friabilibus quibusdam componitur corporibus, quæ tereti formâ pollent, & propagatis lateraliter ramis, in retis formam implicantur, piscumq; omentum repræsentant. Circa hæc corpora sanguineæ ludunt propagines varicosè ductæ, & versus chorion & placentam elongatæ. An exarata corpora reticulariter implicita sint fibræ carneæ, an nervi, an satiùs (N. B) *excretoria uteri vasa, tu ipse judicabis*, &c.——Quibus ego subjungo, ut cuiquam æquo rerum arbitro rectiùs dijudicare liceat, interiorem uteri muliebris membranam numerosis pertusam esse foraminulis, glutinosum, mucosumve fundentibus humorem, quo uterus ipse & vagina perpetuò madent. Compresso quippe utero, extillat in ipsius cavitatem è multis orificiis hujusmodi succus, ovi albumine aliquantò spissior: patentq; ista vasorum excretoriorum ora, si interior uteri membrana aliquandiu in aqua maceretur. Quare probabile est, dictum humorem, qui ex succi nutritii re-

liquiis in uteri parenchymate sive substantiâ stagnantibus constare videtur, per tubulorum membraneorum orificia excerni. Ex his porrò tubulis, magna pro parte, paulò post ovum ex ovario in alterutrum uteri cornu delatum, emergunt placentæ uterinæ radices, & vasa quibus succus alimentaris defertur ad fœtum,& quæ *cotyledones* constituunt.

Ex his deniq; partibus similaribus, eo quem diximus modo contextis, fabrefacti uteri *Officium primarium* est, generandi fœtus primordia, *ovula* scil. in mulieris testiculis seu *ovariis* concepta atque formata, tum seminis virilis fœcundante spiritu imprægnata, deindeque per *tubas Falopianas* in uteri fundum propulsa, excipere, fovere, conservare, ab injuriis tueri, tandemq; fœtum jam perfectum quidem,sed uberioris,alimenti,luciſq;& liberioris auræ indigum, extrudere. *Secundarium* forsitan est, mulieris corpus à superfluis quibusdam,& noxiis humoribus expurgando vindicare.

Spectant quidem ad uteri famulitium & partes quædam *dissimilares*, tanquam tot minora Organa majori magisq; complexo, suo unumquodque munere, subministrantia: *ovaria* nimirum, *tubæ Falopianæ*, *Vagina*, ἀιδοῖον γυναικεῖον, *labra*, χίσμα, πτερύγια, nymphæ, Κλειτορὶς, &c. Hæc tamen omnia, quòd eorum contemplatio ad eam, in qua nunc versamur, disquisitionem parùm

rùm aut nihil conducat, sicco pede pertransivimus: ad fluxûs tam *menstrualis*, quàm *albi causas*, *viasque investigandas* festinantes.

C 4 CAPUT

CAPUT IV.

Catameniorum cauſa finalis *inveſtigatur.*

EST certè in mulieribus fluori *albo* cum *menſtruali*, ſi partis utrobiq; affectæ, ſi viarum per quas uterq; depluere ſolet, ratio habeatur, *affinitas* quædam; licet in cæteris alter ab altero immane quantum diſcrepent. Quippe *alter* planè *naturalis* eſt &, niſi modum excedat, aut aliter vitioſus ſit, *ſalutaris*, nec non ad fœcunditatem quadantenus *utilis*: *alter* verò nunquam non *præter naturæ inſtitutum* contingit, ideoq; in morborum numero cenſendus. Adhoc *iſte*, in ſtatu naturali, non quidem *continuus* eſt, ſed per juſta temporis intervalla recurrit, ſtatiſque fluendi periodis adſtringitur: contrà *ille*, ex quo ſemel incœpit, ferè *continuò* defluit, indies plus minùs infeſtans, donec Medicorum arte ac præſidiis in totum exſiccetur. Præterea menſes maximam partem ex ſanguine conſtant, dum rheumatiſmus uteri albus *ſucci nutritii* ſoboles eſt. At verò quamvis inter profluvia hæc uterina tantum intereſſe concedatur; diſcrimen id tamen minimè obſtat, quin à cognito naturalis ac ordinarii alveo, lucis nonnihil fœnerare poſſimus, ad inveſtigandum præternaturalis & extraordinarii decurſum; quandoquidem rectum nor-

ma

ma est obliqui, & à manifestis ad obscuriorum notitiam progredimur. Exordium itaq; sumo à fluxu *menstruali*.

Verissimum sanè est axioma illud *Aristotelis*, *Natura nihil frustrà & temerè facit, sed omnia finis alicujus gratiâ facit.* Nam quæcunq; semper, aut plerunq; saltem, modo eodem fiunt, illa fortuitò & casu fieri non possunt: omnia autem quæ secundum naturam, *i. e.* ex naturæ instituto fiunt, semper, vel plerunq; eodem modo fiunt; non igitur casu, & fortuitò, & consequenter finis alicujus causâ fiunt. In omnibus ergò rebus Physicis, causa *finalis*, sive (ut phrasi utar *Aristotelicâ*) τὸ ὦ ἕνεκα locum sibi vendicat. Cùm itaq; *catamenia* mulierum semper, aut plerunq; (in statu sanitatis) eodem sese modo habeant; exinde necessariò sequitur, & illa non casu, sed ex Naturæ instituto profluere; & Naturam, dum eadem institueret, aliquem sibi finem proposuisse. Sed *quem?* Quæstio hæc profectò perdifficilis intellectu est, numerisq; Pythagoricis obscurior: utpote quam *Antiquorum* sapientiæ consultorum maximi nobis indecisam reliquerunt; & *Recentiores* perplexis controversiis, variarumq; opinionum laqueis reddiderunt adhuc magis implicatam.

Parmenides, itemq; *Democritus* apud *Aristotelem* (4. *de Gen. animal. c.* 1.) arbitrati sunt, mulieres præ nimiâ, quâ fervent, *caliditate*,

ditate, fervidiorem acrioremq; sanguinem generare & cumulare; qui tamen, ubi nimium excreverit, naturam ad expulsionem vi & mole irritet, sicq; illis periodicam excitari fluxionem. At veteres hi Philosophi quàm longè iverint à veritate, pluribus olim idem *Aristoteles* enunciavit. Nimirum. falsa imprimis est hypothesis ista, Mulieres temperamento esse calidissimo; imò generatim viris calore inferiores esse subindicat *Hippocrates* aphorismo illo, *Mulier ambidextra non fit*: quòd scilicet non ita spiritu ac calore circumfluant, ut utrumque latus corporis æquè his abundet. Sed hanc sententiam recensuisse, refutare est: neque nos delectat, tempus inter ista, quæ anicularum insomnia sapiunt, perdere.

Aristoteles contrà, & ante ipsum *Hippocrates*, menstrui sanguinis generationem in mulierum rejiciunt *frigiditatem*, ob quam cùm nequeant universum conficere, & assimilare alimentum; quod supereſt, natura ad uteri venas jugiter demandat, inde confertim effundendum. At hæc pariter sententia non solùm precario, sed etiam falsissimo nititur fundamento. Mulieres enim, nisi totum alimentum coquerent, conficerentque, & in partium ex eo nutriendarum substantiam converterent; certè haud ita succulentæ forent, ac magis quàm viri ipsi pingues & obesæ, sed his graciliores apparerent. Argumento

neutiquam

neutiquam contemnendo, quòd universum alimentum bellè conficiunt, ritèq; commutant; absq; quo copiosum adeo superfit coctionis excrementum. Præterea, sanguinem esse ultimum corporis partium alimentum, necdum constitit; imò falsum esse, ipsemet alibi multis cùm argumentis, tum experimentis fidem benè merentibus, ex professo docui. Aliò itaq; animi nostri acies convertenda est, quò saniora inveniamus.

En autem opportunè nobis oraculum suum aperit *Galenus*, arte Apollineâ clarissimus, idemq; per longam sæculorum seriem Dictator Medicorum. Quæramus igitur, dum feriari à negotiis licet, ipsius ab ore, quid de menstruo mulierum fluxu sentiat. Respondet hominum humanissimus, animi se sui sensum enunciasse *lib. de Venæ-sectione adversus Erasistratum.*

Agitedum igitur, *Lectores cordati*, locum ipsum inspiciamus. Οὐκ ἄυτη [φυσὶς] γυναῖκας, μὲν ἁπάσας ἐφ' ἑκάςῳ μηνὶ τὸ περιττὸν ἀποχέυσα τῶ αἵματος; &c. *Nonne Natura ipsa mulieres cunctas evacuat, singulis mensibus sanguine superfluo foras effuso? Muliebre enim genus, ut quod domi ageret, neq; vehementibus laboribus exerceretur, aut sub claro sole viveret, atq; ob utráq; hæc multitudinem humorum coacervaret; ipsam evacuationem plenitudinis, tanquam remedium, naturâ obtinere opus habebat.* Clarè quidem hîc, quid sibi videatur,

deatur, dicendo explicat: sed non totam, de quâ quæritur, rem videtur enodare. Quocirca & alium legamus ejusdem Autoris textum, qui in *Finitionibus Medicis* extat, uno (ut aiunt) spiritu, nulloq; pulmonum labore recitandus. *Tribuuntur mulieri menstrua, quæ sanitatis gratiâ vacuentur: embryoni autem nutrimentum præbeant, per conceptum suppressa.* Jamq; tandem *Galeni* mentem, ut ut compendio verborum enunciatam, planè plenéq; sumus assecuti.

Ne tamen, eandem mox ad minimè fallacem rectæ rationis, multipliciſq; experientiæ trutinam expensuri, eorum quæ binis his locis eloquutus est Autor gravissimus, aliquid perperàm intelligere videamur, omnia æquum est priùs recensеamus, in unum quasi manipulum contracta. Docet *Galenus*, proximam menstruæ purgationis in mulieribus causam, non aliunde quàm à sanguinis redundantia petendam esse. Hanc autem plenitudinem attribuit sedentariæ ac desidiosæ earundem vitæ. Desidiam deniq; refert ad ipsam sequioris sexûs naturam, quæ ita comparata est in ordine ad fœturam: scil. propter duos præstantissimos fines, ut conceptus fœtus & in utero, & extrà uterum alatur. Hoc sanè *Galenicæ* doctrinæ super zetemate proposito summarium est.

Jam verò (ignoscant mihi candidi Manes *Galeni*, si solo veritatis amore ductus, ab ipsi-

us

us opinione in hac re dissentire sustineam) si singula sigillatim & ex ordine accuratiùs examinemus, facilè constabit, cuncta infirmissimis niti fundamentis. *Primò* enim, *mulieres à Naturâ esse ad desidiam, vitamq; otio transmittendam damnatas, comparatasque*; ut dura, & Naturæ benignitati haud parùm injuria, ita & in se falsissima etiam thesis est. Ex omnibus enim quas sol unquam conspexit gentibus, nullam adeo delicatam ac desidem, nullam languori, pigritiæq; ita deditam fuisse, cujus mulieres maximam partem domesticis, aut agrestibus laboribus dietim non exercerentur, experientiâ temporum nobis innotuit. De *Spartanis*, quæ in urbe, in agris, in castris, ubique assiduos & penè Herculeos exantlare labores, patriæ legum severitate cogebantur; nihilo-minus tamen tum mensibus purgabantur, tum viros faciebant numerosâ prole beatos: de his, inquam, quid dicent *Galeni* hac in re defensores? quid dicent etiam de historiis *Amazonum*? quæ, quamvis essent ab otio & desidia maximè alienæ, quamvis sub dio, claroq; sole vitam degerent, & immensis militiæ laboribus frangerentur; menstruo tamen circuitu Naturæ tributum solvebant, concipiebant, uteriq; pignora dabant. Quid deniq; dicent de mulieribus rusticis & castrensibus ubiq; terrarum perpetui ferè laboris molestias gnaviter perferentibus; hocq; sine ullo vel sanitatis,

vel

vel fœcunditatis incommodo? argumento utiq; fortissimo, mulieribus ad menstruam evacuationem nil opus esse eâ sanguinis plenitudine, quæ per otium & segnitiem accumuletur. *Secundò*, quotidianâ Medicorum experientiâ compertum est, mulierum haud paucas catamenia consueto modo, & interdum profusè pati, quibus tamen sanguinis copia infra mediocritatem consistit. Novi equidem tabe ac marasmo penè confectas, quæ tamen statis temporibus sanguinem ex utero emitterent. Et (quod adhuc magis stius, quem hîc impugnamus, erroris mœnia concutit) haud rarò contingit, ut ipsa sanguinis plenitudo impedimento sit, quo minùs mulieres præfinitis à natura temporibus expurgentur: nec antè revocari menstrua possint, quàm fuerit per artificialem aphæresin, Chirurgi manu administratam, abundantia sanguinis imminuta. Cujus rei optimè conscii sunt *Hippocratis* filii, qui mulieribus mensium defectu simul, & pleonasmo sanguinis laborantibus, venæ-sectionem præscribere solent. *Tertiò*, Si mulieribus sanguis eo duntaxat nomine profunditur, quia quantitate modum excedit, & vasorum oscula distendendo aperit; per legitimam consequentiam inferri potest (observante Cl. *Franc. Bayle*, *Dissert. Med.* 1.) ea vasa, quæ debiliora sunt, citius à distendente plenitudine apertis osculis exitum sanguini esse datura; & eâ de causâ

ſâ ante patebunt vaſa ſanguinea narium, pulmonum, & aliarum partium (ut aliquando contingit) quàm vaſa uteri. Sanguis enim deponitur ab arteriis in tubulis ſuperiore capite deſcriptis, quorum oſcula quamplurima in uteri cavum vergunt: qui tubuli præterquam quòd densâ uteri ſubſtantiâ firmantur, ipſi ſunt adeo validi, ut ſit ante metuenda majuſcularum venarum, quàm ipſorum dilatatio; niſi ab aliquâ cauſâ accerſatur mollities, quâ fiat, ut vel à ſanguine exitum quærente facilè dilatentur, vel etiam ſponte laxentur. Unde manifeſtum eſt, meram plenitudinem non ſufficere, ut evacuatio per uterum efficiatur.

Neq; etiam minus ſubleſtæ fidei eſt duplex illa, quam menſtruæ mulierum evacuationi *Galenus* aſſignat, cauſa *finalis*: ut ſcil. *mulieres menſibus à ſuperflui ſanguinis, quem per ignaviam accumularunt, onere levatæ, magis proſperâ valetudine utantur; utq; in gravidis exceſſus ſanguinis cedat in fœtûs nutrimentum.* Harum enim neutra, ſi ad æquos, & ad veritatis trutinam omnia perpendentes judices deferatur, ſtare poteſt. Contra priorem inſurget univerſa natio fœmellarum apud *Tapuyas* in *Braſilia*, quæ per totum vitæ curſum Catameniis deſtituitur, nec minùs tamen illibatâ perfruuntur ſanitate, ſi fides adhibenda ſit *Joanni Stadio* (apud *De Bry*) qui apud gentem illam efferam decennium integrum

integrum commoratus erat. Insurget etiam doctis. *Lambert. Velthusius*, qui (*de Generat. cap. 3. pag. 134.*) hæc habet: *multis menstrua fluere non desinunt, quæ jejuniis se macerant. Nec verisimile est, puellas, circa annum decimum quartum, plethorâ laborare; quæ etiam non solet tam pauci sanguinis emissione curari.* Adde, viros plus sanguinis habere quàm mulieres; iis tamen à Natura prospectum non est, ut justo majorem copiam certis intervallis evacuare possint. Insurgent deniq; pleraq; brutorum animalium viviparorum genera, vaccæ nimirum, equæ, cervæ, damæ oves, &c. quæ menstruas purgationes nesciunt, nec alio quocunq; circuitu cruentantur; & tamen non modo immunes degunt ab incommodis, plethoram plerunq; sequentibus, verùm etiam non secus ac mulieres concipiunt, fœtusq; suos in utero nutriunt. Lubens itaq; quærerem ab hyperaspistis *Galeni*, utrùm id genus animantes uberiorem, quàm opus sit ad corporis sustentationem, sanguinem gignunt? si negent; quomodo, secundum illam, quam propugnatum eunt, hypothesin, fœtus in utero nutriunt? si affirment; quò abit in non gravidis ille sanguinis excessus? Abit in *pilos*, inquient; citabuntq; forsitan *Aristotelis* autoritatem, qui (7. *de Hist. animal. c. 2.*) *aliis in corticem*, inquit, *aliis in squammas, aliis in frequentiam pennarum, absumitur. Terrestribus*

quoq;

quoq; animal parientibus in pilos, & corpulentiam transit, &c. At equæ, & reliquæ animantes, cùm in utero gerunt, suos non minus retinent nutriuntq; pilos, quàm cùm vacuæ sunt. Ac diligentissimus ille, juxtà atq; sagacissimus Naturæ investigator *Petrus Gassendus* (*de vitâ Peireſcii lib. 5.*) ex Medici cujusdam *Natalis* dicti relatione, memoriæ prodidit, esse in Guinea simiarum genus quoddam, cujus fœmellæ, haud secus ac mulieres ipsæ, menstrua patiuntur; longis tamen densisq; per totum annum vestiuntur pilis. Tantum itaq; abest, ut hujusmodi animantes viviparæ menstruorum materiam in pilos absumant, ut menstruatæ vivant simul, & hirsutæ. Non liquet igitur, quod voluit *Galenus*, Naturæ instituto mulieres menstruâ locorum cruentatione ideo expurgari, ut ab exuberantis discrimine sanguinis vindicentur. Neutiquam tamen dubitandum esse arbitror, quin menses rectè fluentes haud parùm conducant, ad Iliadem morborum, quibus mulieres alioquin obnoxiæ sunt, tempestivè arcendam. Id verò non à diminutâ sanguinis mole contingere, meo quidem judicio, videtur: sed aliâ quadam, longéq; diversâ causâ, quam infrà opportuno in loco in medium proferam. Interim ad examinandam veniamus posteriorem *Galeni* assertionem, scilicet,

Sanguinis plenaſmum in prægnantibus nutriendo fœtui inſervire. Quâ sententiâ, ut

ut longinquitate temporis, patronorumq; ingenti multitudine commendatâ; nihil tamen futilius, nihil magis à veritate alienum fingi potest. Nam *primò*, utrùm animalia perfectiora sanguine, tanquam ultimo solidarum corporis partium alimento, nutriantur; an eorum succus verè nutritius sit alterius familiæ, atq; à sanguinis naturâ longè diversus; in magnâ quæstione habent haud infimi sæculi hujus Philosophi. Quinimo haud pauci jam effluxerunt anni, ex quo *illustris D. D. Georgius Entius*, vir quidem Equestri dignitate pro meritis ornatus, sed cùm eximiâ eruditione, scriptis, ac ingenio, tum vitæ integritate ornatior, primus omnium (quod sciam) mortalium detexit, mundo candidè propalavit, nervosisq; argumentis, partim à ratione, partim ab experimentorum lumine deductis, probavit, & sanguinem non alendo, sed calefaciendo corpori inservire; & succum altilem esse à sanguine prorsus distinctum. Et quanquam non defuere, qui (sive præjudicio excæcati, sive summi viri ratiocinia non satis perpendentes) novam hanc doctrinam sugillare totis viribus conati sint, nondum tamen eam falsitatis coarguere valuêre; nec unquam (nisi nostrum nos augurium decipiat) valebunt. Non est ergò, cur dissimulem, esse me unum ex eorum numero, qui eandem tamdiu amplecti apud se constituêre; quamdiu non constiterit rejici debere.

Cæterùm

Cæterùm etiamsi concedatur, præter sanguinem, in animalibus viviparis liquorem, unde alantur, dari nullum; non tamen inde statim sequetur, *illorum fœtus in utero residentes* materno sanguine nutriri; sicut ea, quam hîc examini subjicimus, *Galeni* sententia supponit. Si enim affirmare auderem, quemlibet fœtum necdum in dias luminis auras emissum, non materno, sed *suo* duntaxat sanguine vivere: quid vel acutissimi ex *Galeni* consectatoribus respondere in contrarium possent, profectò non video. Exigerent fortassis à me, ut tam audacem, tam insolentem, & ab omni ævo in Medicorum scholis receptæ doctrinæ tam repugnantem thesin certis rationibus confirmatum irem. Agedum igitur, eorum expectationi gratificabor: in causæ, quam sustineo, patrocinium, non inanes conjecturarum umbras, non Dialecticorum contortuplicatos logos, sed fidissima clarissimorum sæculi hujus illuminati Anatomicorum testimonia, ipsam itemq; Autopsiam candidè producens.

Sunt quidem ex Modernis Anatomiæ cultoribus, qui, ut sanguinem ex utero matris ad fœtum inibi commorantem commodè traducerent, vasa uteri sanguifera cum fœtûs vasis umbilicalibus conjuncta esse, eorumque commissuras & anastomôses κοτυληδόνας appellari scripserint. His verò ipsa refragatur sensuum fides. Nullæ etenim inosculationes

ſtis *Galeni*, utrùm id genus animantes uberiorem, quàm opus ſit ad corporis ſuſtentationem, ſanguinem gignunt? ſi negent; quomodo, ſecundum illam, quam propugnatum eunt, hypotheſin, fœtus in utero nutriunt? ſi affirment; quò abit in non gravidis ille ſanguinis exceſſus? Abit in *pilos*, inquient; citabuntq; forſitan *Ariſtotelis* autoritatem, qui (7. *de Hiſt. animal. c.* 2.) *aliis in corticem*, inquit, *aliis in ſquammas, aliis in frequentiam pennarum, abſumitur. Terreſtribus*

quoq;

quin menſes rectè fluentes haud parùm conducant, ad Iliadem morborum, quibus mulieres alioquin obnoxiæ ſunt, tempeſtivè arcendam. Id verò non à diminutâ ſanguinis mole contingere, meo quidem judicio, videtur: ſed alià quadam, longéq; diverſâ causâ, quam infrà opportuno in loco in medium proferam. Interim ad examinandam veniamus poſteriorem *Galeni* aſſertionem, ſcilicet,

Sanguinis pleonaſmum in prægnantibus nutriendo fœtui inſervire. Quâ ſententiâ, ut

ut longinquitate temporis, patronorumq; ingenti multitudine commendatâ; nihil tamen futilius, nihil magis à veritate alienum fingi potest. Nam *primò*, utrùm animalia perfectiora sanguine, tanquam ultimo solidarum corporis partium alimento, nutriantur; an eorum succus verè nutritius sit alterius familiæ, atq; à sanguinis naturâ longè diversus; in magnâ quæstione habent haud infimi sæculi hujus Philosophi. Quinimo haud pauci jam effluxerunt anni, ex quo *illustris D. D. Georgius Entius*, vir quidem Equestri dignitate pro meritis ornatus, sed cùm eximiâ eruditione, scriptis, ac ingenio, tum vitæ integritate ornatior, primus omnium (quod sciam) mortalium detexit, mundo candidè propalavit, nervosisq; argumentis, partim à ratione, partim ab experimentorum lumine deductis, probavit, & sanguinem non alendo, sed calefaciendo corpori inservire; & succum altilem esse à sanguine prorsus distinctum. Et quanquam non defuere, qui (sive præjudicio excæcati, sive summi viri ratiocinia non satis perpendentes) novam hanc doctrinam fugillare totis viribus conati sint, nondum tamen eam falsitatis coarguere valuêre; nec unquam (nisi nostrum nos augurium decipiat) valebunt. Non est ergò, cur dissimulem, esse me unum ex eorum numero, qui eandem tamdiu amplecti apud se constituêre; quamdiu non constiterit rejici debere. Cæterùm

Cæterùm etiamsi concedatur, præter sanguinem, in animalibus viviparis liquorem, unde alantur, dari nullum; non tamen inde statim sequetur, *illorum fœtus in utero residentes* materno sanguine nutriri; sicut ea, quam hîc examini subjicimus, *Galeni* sententia supponit. Si enim affirmare auderem, quemlibet fœtum necdum in dias luminis auras emissum, non materno, sed *suo* duntaxat sanguine vivere: quid vel acutissimi ex *Galeni* consectatoribus respondere in contrarium possent, profectò non video. Exigerent fortassis à me, ut tam audacem, tam insolentem, & ab omni ævo in Medicorum scholis receptæ doctrinæ tam repugnantem thesin certis rationibus confirmatum irem. Agedum igitur, eorum expectationi gratificabor: in causæ, quam sustineo, patrocinium, non inanes conjecturarum umbras, non Dialecticorum contortuplicatos logos, sed fidissima clarissimorum sæculi hujus illuminati Anatomicorum testimonia, ipsam itemq; Autopsiam candidè producens.

Sunt quidem ex Modernis Anatomiæ cultoribus, qui, ut sanguinem ex utero matris ad fœtum inibi commorantem commodè traducerent, vasa uteri sanguifera cum fœtûs vasis umbilicalibus conjuncta esse, eorumque commissuras & anastomôses κοτυληδόνας appellari scripserint. His verò ipsa refragatur sensuum fides. Nullæ etenim inosculationes

aut commissuræ inter vasa uteri & umbilicalia hactenus comparuerunt. Et si digitis molliter separes uterum vaccæ à chorio fœtum undique involvente, iis nimirum locis, ubi excrescunt istæ caruncvlæ, & junguntur cum similibus chorii carnibus: facilè percipies, nullum vas inter separandum dirumpi aut lacerari, nullamq; vel sanguinis vel cruoris ex ista separatione consequi profusionem. Nec opus est, incruenti hujus experimenti (à doctiss D. *Whartono*, Collegâ olim meo amantissimo, *lib. de Glandulis cap.* 35. memorati) rationem ex longinquo petamus. Ipsa enim placenta duplex est; altera ejus medietas pertinet ad uterum; ad Chorion altera: atq; hæ medietates aptè inter se committuntur, seu potiùs inoculantur. Constat quippe utráq; ex inæquali superficie, alveolis nimirum & protuberantiis sibi mutuò respondentibus ita, ut alveoli unius medietatis protuberantias alterius in se, veluti per *gomphosin*, excipiant, & undiq; amplectantur. Vasa item uterina omnia ad placentam distributa, in illâ ejus medietate, quæ ad uterum spectat, terminantur, & in eâdem in capillamenta penitùs absumuntur, neq; omninò in alteram medietatem transeunt. Similiter vasa umbilicalia, quæ ad medietatem placentæ chorio affixam progrediuntur, omnia in eadem medietate exhauriuntur in capillamenta, neque transeunt in oppositam medietatem utero contiguam:

contiguam: ut altera medietas facillimè divelli ab alterâ possit, sine ullâ vasorum sanguiferorum diruptione, & consequenter alterutrius cruentatione. Evidenti certè argumento (inquit modò laudatus *Whartonus*) vasa utriusq; generis respectivè terminari in medietate glandulæ, i. e. placentæ alterutri propriâ. Fieri ergò non potest, ut vasa umbilicalia cum uterinis inosculentur; cum alterutrum horum genus suis finibus, nempe suâ placentæ medietate, planè terminetur. Unde manifestum est, ne guttulam quidem sanguinis à matre immediatè ad vasa umbilicalia deferri. Quomodo igitur possibile est, ut fœtus materno nutriatur sanguine, qui ad ipsum nunquam deferatur? Ad hæc, sanguis in embryonis corculo efformatus, & ad eam placentæ medietatem, quæ fœtui propria est, calefaciendis iis locis pertingens, per venam umbilicalem redux, ad cor embryonis denuò fertur: nequaquam autem illius nutritioni inservit, quæ solummodò per os instituitur: delabente nempe intra amnion lacte uterino, sive succo verè nutritio, ad uterum delato; qui aliter nutriendæ matri inserviisset. Cæterùm vereor ne Laconismo hîc studens, nobilissimum isthoc Naturæ mysterium, per tot annorum centurias ipsis etiam Philosophis absconditum, nunc tandem verò felici Anatomicorum industriâ è tenebris erutum, haud satis explicasse videar.

Quamobrem totam fœtûs in utero nutriti hiſtoriam, paucis comprehenſam, ex *Eruditiſſimi Entii Animadverſionibus in Thruſtoni Diatribam*, hûc tranſcribendam duxi.

" Quemadmodum plantarum *ſemen terræ*, ſic in animalibus *conceptus utero* mandatur. Atque ut illîc *germen proprio* ſucco, ſive pulpâ adnatâ (in quam radiculas ſpargit) alitur, donec, facto jam incremento, abſumptóque ferè domeſtico penu, rupto cortice, radices ulterius, in terram agit, ut inde alimentum neceſſarium quærat: ita pariter *conceptus*, utero necdum connexus, ſat nutrimenti apud ſe habet, unde initio ſuſtentetur; factâ autem ejuſdem penuriâ, formatóque jam fœtu, *Chorion* (*ultimum* illius tegmen) fibras ſuas carneas, ſive carunculas, utero matris, ceu terræ, ingerit, ut inde ſuccum ſibi alimentarem depromat. Nimirum per utrumque cornu (de *Vaccinæ* utero nunc loquor, utpote conſpectu clariore; eſtque ferè par ratio in cæteris) plurimæ glandulæ, ſive carneæ moles, placentularum vices obtinentes & ſubſtantiæ teneritudine teſticulum agninum ferè referentes, ſparſim diſſeminantur: quæque inter illas à fœtu occupantur, intumeſcunt adeo, ut craſſitudine ſuâ ovi gallinacei dorſum facilè æquent; multíſque cavernulis, ſive *Cotyledonibus*

" *donibus* donantur; quas totidem carun-
" culæ, ſive papillæ perforatæ, è *chorio* ori-
" undæ, ſubeunt: dum aliæ glandulæ quas
" carunculæ illæ non adeunt, exiles & ſtri-
" goſæ remanent, vix piſi aut coriandri ſe-
" minis magnitudinem excedentes. E glan-
" dularum itaque illarum ſpongioſarum ac
" tumentium acetabulis, *Chorii* papillæ ca-
" væ ſuccum nutritium (non autem ſan-
" guinem, ut olim creditum) exhauriunt,
" quem mox in *Chorii* atque *Amnii* interca-
" pedinem deponant. Inde verò mox ſuc-
" cus iſte, per moleculas, ſive verrucas molles,
" exiguas, albidas, ſubrotundas, *Amnio* paſ-
" ſim adnatas, inque illius parte interiore
" pluſculùm protuberantes; pérque tenues
" & oblongas hiantes papillulas, ubi idem
" *Amnios* funiculum umbilicalem ambit,
" tranſcolatus, in *Amnii* cavum delabitur.
" Idque ita fieri, digitorum levi compreſſi-
" one facilè conſpexeris. Ac propterea *De-*
" *mocritus* & *Epicurus*, fœtum non ſolùm per
" os nutriri exiſtimarunt, ſed & utero, in
" eum finem, ubera attribuerunt: fortè aſ-
" peritates & tubercula jam dicta mamma-
" rum nomine appellantes, quòd inde lac
" tam promptè emulgeatur. Malè itaque
" diſcrimen inſtituiſti inter humorem albu-
" gineum, per hepar uterinum tranſudan-
" tem, & humorem puriſſimum in *Amnio*
" contentum: ſuccus enim lacteus, qui in-

" *Amnio* reperitur, priùs ex hepate uterino
" defluxerat.——Interea tamen venæ nul-
" lam huic operi opem adferunt. Nutritur
" fœtus in utero ante nata vasa umbilicalia;
" aut saltem priùs, quàm illa longitudinem
" eam indepta fuerint, quâ ad placentam u-
" teri pertingere queant. Argumenta au-
" tem *Cl. Diemerbroeckii*, quibus probatum
" it, fœtum *umbilicali* quoque sanguine nu-
" tri i, haud magno negotio diluuntur. *Pri-*
" *mò*, nego enim vasa umbilicalia in uteri
" placentam aliter inseri quàm prout *Chorii*
" carunculas comitantur. Nihil verò san-
" guinis materni in ea transfertur; imò ne
" comprimendo quidem placentæ *Cotyledo-*
" *nes*, quicquam inde sanguinis emulseris;
" sed extillat solùm lacteus humor, qui in
" papillarum cavitates, ut diximus, non au-
" tem in venas umbilicales, trajicitur. *Se-*
" *cundò*, haud plus sanguinis per venam um-
" bilicalem è fœtûs placentâ refluit, quàm il-
" luc per utramque arteriam delatum erat.
" *Tertiò*, potest fœtus æquè commodè
" paulò ante partum per solum os nutriri,
" atque statim post partum id fieri certò
" constat. Præcipuè cum notum sit (si
" id alicujus momenti fuerit) utrobique tam
" in fœtu, quàm in adulto, chylum per
" ductum thoracicum translatum, sanguini
" per subclaviam remeanti commisceri:
" cúmque, ut dixi, ad nutritionem neces-
" sariò

" sariò requiratur, ut cibus in ventriculo co-
" quatur, sive tabescat, priusquàm possit
" subtilia vasa ingredi, atque in alimentum
" facessere.

Habes itaque jam tandem, *Lector* curioſe, haud magis elegantem, quàm veram, ac hodiernorum Hysterotomorum observatis omni ex parte consentaneam, nutritionis fœtûs in utero hypotypôsin. Cui liceat mihi, quæso, non confirmationis quidem (ea enim est apud Eruditos sanctissimi Scriptoris autoritas, ut sustentandæ sibi ipsa sufficiat) sed illustrationis tantùm gratiâ, unum & alterum subnectere paragraphum, de rebus cum præsente negotio conjunctissimis.

Ex animantium utero gerentium, partuiq; jam tum appropinquantium extispicio compertum est, nervos ad uterum delatos, gestationis tempore, plurimùm augeri, & in ipsam placentæ medietatem utero adnatam capillares frequentes emittere. Hi verò nervi, non ipsius uteri, sed fœtûs in gratiam efformari videntur: quia edito in lucem fœtu, cum uterinâ placentæ medietate liquescunt, & unà cum uteri purgamentis foras deturbantur: ita ut intra mensis unius curriculum, nulla eorum vestigia ulteriùs appareant. Quo admirabili Naturæ phænomeno perculsus olim *Whartonus*, anxiè quæsivit, cuinam usui hi nervuli in prægnantibus de

novo

novo efformarentur: nec probabiliorem demum invenit ullam, quàm ut uberiorem ſucci nutritii proventum in placentam effunderent, in uſum, non quidem uteri, cui per aliorum nervorum apparatum ſatis proſpectum; ſed fœtûs, cujus gratiâ hæ omnes partes temporariæ ſunt exſtructæ.

Præterea, vel ſenſuum noſtrorum fide certò conſtat, ſuccum in Amnio contentum, ejuſdem generis eſſe cum illo, qui in ventriculo fœtûs reperitur. Unde cuivis tutò concludere licet, eum eſſe genuinum *ſuccum nutritium*; non autem illius generis qui in arteriis & venis diſcurrens, perpetuiſque gyris circum corpus ambulans, conſueta loca reviſit, repetitque relicta; ſed illius, qui non aliunde quàm è nervis promanat.

Jam verò (ut eorum, quæ in hoc capite dicta ſunt, ἀναϰεφαλαίωσιν inſtituamus) cùm ex longâ illâ, quam hîc contexuimus, rationum, autoritatumque, & experimentorum catenâ, luce meridianâ clariùs appareat (1mo) mulieres non eſſe ad vitam otio ac deſidiâ tranſmittendam natas, comparatasque; (2do) eiſdem non conceſſa fuiſſe catamenia, vel ut à pleṭhoræ periculis vindicarentur, vel ut magis proſperâ fruerentur valetudine; (3^io^) præter mulieres, dari alia etiam animalia vivipara, quæ menſtrua pariter patiuntur; (4to) ſanguinis pleonaſmum in prægnantibus non faceſſere in

fœtûs

fœtûs nutricatum; (5to) sanguinis materni ne guttulam quídem unam ad fœtum derivari unquam; (6to) fœtum non sanguine, sed lacte uterino per os assumpto nutriri: cum hæc omnia, inquam, evidentissima sint, aliud nil supereſt, nisi ut certò concludamus, illos quàm longissimè à veritate aberrare, qui *Galeni* obsoletæ de Catameniorum in mulieribus causâ finali doctrinæ contumaciter adhærent.

Quos tandem in viam ut reducamus, alia aliqua priore verisimilior causa nobis quærenda est. Hanc autem innuere videtur sagaciſſimus *Entius*, qui credere se profitetur, *καταμήνια à Naturâ instituta esse, non tam evacuando sanguini superfluo, quàm expurgandæ succi alibilis seroſæ pravæque materiæ: quâ stagnante, fœdatur mox tota Naturæ œconomia, ingruuntque solita symptomata; nempe cibi fastidium, nausea, ventriculi dolor, difficilis respiratio, crurum ἀκεφάτεια, chlorosis, febris lenta, & mille mala, quæ neutiquam solent à sanguinis redundantiâ proficisci.*

Hîc si quis ingenuâ curiositate accensus, à me peteret, ut ostenderem, quibus rationum momentis *Cl. Entius* suam istam probaverit sententiam: dicerem equidem, ad eam stabiliendam non aliis opus esse argumentis, quàm quæ summus Vir, adversus *Thrustonum* contendens, in aciem produxit,

ad

ad præclaram ſuam de ſucco nutritio à ſanguinis natura prorſus alieno, atq; per membranas & nervos diſtributo, hypotheſin demonſtrandam. Eò igitur *Lectorem* πληροφορίας avidum refero: à catameniorum causâ finali ad efficientem, ſive periodicè *concitantem* tranſiturus.

CAPUT

CAPUT V.

Veterum *ſententia de Catameniorum* Circuitûs *causâ repudiatur.*

QUàm infeliciter veteres Medicinæ proceres ſua exercuerint ingenia in cauſâ finali menſtrui mulierum fluxûs inveſtigandâ, ſuprà vidimus. Videamus nunc etiam, an meliore ſucceſſu, ejuſdem *efficientem* ſive concitantem quæſiverunt. Natura certè, cum certis legibus omnia exequatur, non omni ætate, non omni tempore, nec ſingulis ſeptimanis aut diebus excretionem iſtam molitur; ſed ex intervallis, ſtatiſq; periodis, quas ipſa per ſe, niſi laceſſita, aut impedita, prætergreditur nunquam. Tempora hæc *Univerſalia* ſunt, & *particularia.*

De *Univerſali* ita ſtatuunt omnes cùm Antiqui tum Recentiores; *incipere* utplurimum ſecundo ſeptenario, decimo-quarto ſcilicet ætatis anno, ſeriùs paulò vel citiùs; & *deficere* ſeptinario ſeptimo, hoc eſt, quadrageſimo nono, aut quinquageſimo anno; maturiùs, tardiúſve, pro temperamenti, aliarúmq; cauſarum ratione. Cur autem in genere non ante decimum-quartum annum erumpant menſes, ratio eſt; quòd ante fœtificationis tempus, ſucci nutritii redundantia ad uterum non mittatur. At ſub ſecundi ſeptenarii initium,

tium, aucto ſanguinis calore, ac jam luxuriante ſimul ſucco alimentari, contingere ſolet ἔκλαμψις quædam; unde puellis turgent mammæ, incaleſcit uterus, genitalia libidinis œſtro pruriunt, novâque lanugine τὸ αἰδοῖον ornatur; certo documento, jam eſſe viro maturas. At verò poſt quinquageſimum *ceſſant* menſtrua, quòd ceſſante tunc temporis facultate ovula in ovariis concipiendi, ceſſat ſimul & eadem nutriendi neceſſitas; quâ ſemel deſinente, nil opus ampliùs reſtat, ut ſucci nutritii reliquiæ in uteri ſubſtantiâ, ſive inconſpicuis meatibus ſtagnantes, ſanguinis alluvione abluantur. Hincque contingere arbitror, ſeneſcentes mulieres, ut collapſas mammas, ita uterum quoque retractum, flaccidum, vietum, pallidum, vaſis ſanguiferis, & ſucci alibilis copiâ carentem habere. Contrà verò virginibus pallidis, febre lentâ laborantibus (quibus uterus exilis eſt, & menſes reſtitant) à coitu maris (inquit *Ariſtot. de Gen. animal. l.* 3. *c.* 1.) detrahitur menſium excrementum; trahit enim humorem uterus tepefactus, & meatus aperiuntur. Unde ſummum illis ægritudinis levamen: quippe ab utero officii ſui immemore, multa univerſo corpori obveniunt mala. Eſt enim uterus (ait *Harvæus de Gen. anim. exercit. de partu*) pars principalis, quæ totum corpus facilè in conſenſum trahit. Nemini ſanè (paulùm ſaltem exercitato)

tato) ignotum eſt, quanta virgini alteratio contingat, increſcente primùm, & tepefacto utero; pubeſcit nempe (ut modò dictum) coloratior evadit, mammæ protuberant, pulcrior vultus renidet, ſplendent oculi; vox canora, inceſſus, geſtus, ſermo, omnia decora fiunt; morbique graviores hoc ipſo tempore, vel nunquam, curantur.

Tempus autem *particulare*, certum ac definitum ſtatui non poſſe, rectè obſervavit *Ariſtot.* & docti ferè omnes ita ſentiunt. Quoniam (ut prudenter annotarunt *ad cap. 2. l 7. Ariſt. de Hiſtor. animal. Aetius* & *Avicenna*) licet Lunâ decreſcente ut plurimum is fluxus efficiatur, nihilominus unam inter & aliam purgationem aliis intercedunt dies viginti duo, aliis viginti ſeptem, aliis viginti quatuor; ut ſtatâ temporis periodo perpaucis recurrat menſtrualis purgatio. Hujus autem varietatis variæ ſunt cauſæ, nempe temperamentum, aër, motus & quies, cibus, potus, animi pathemata, aliaque vitæ accidentia. Eſt tamen quòd credamus, ſtatos eſſe Naturæ motus, & certas leges, licet nobis incognitas, quas ipſa inviolatas ſervat & immutabiles, niſi viarum anguſtia, humoríſque craſſities eam remorentur; aut qualitatis mordentis acrimonia, aliquódve extrinſecus adveniens irritamentum eam ante ſolitum tempus excernere cogat. Semel itaque in menſe excretionem hanc plerunque

runquè molitur, nunc in noviluniò, nunc in pleniluniò, nunc decreſcente, interdum ſilente Lunâ, ſed & quolibet tempore intra menſis curriculum: viraginibus quidem per triduum, mollioribus & otioſis, quas νδατώδεας vocat *Hippocrates* (*lib. de Diætâ*) per ſeptimanam; moderatis verò per quatriduum: quæ tempora ſunt particularia.

Cæterùm *cur ſemel tantùm ſingulis menſibus defluant?* quídve eorum fluxus periodicè concitet? Si *Ariſtoteli*, aliiſque veterum ejus veſtigia ſerviliter prementibus auſcultemus, Luna nobis de cœlo in hanc ſcenam deducenda eſt. Ille enim (*7. de Hiſt. animal. cap.* 2.) diſertè aſſerit, Catameniorum periodos menſtruo Lunæ motu & influxu regi: & variis aſtri illius phaſibus, pro varietate ætatis, mulierum fluxum concitari. Unde verſiculus iſte, ceu veriſſimum (ſi diis placet) Oraculi Delphici effatum, non ſolùm ab indoctâ populi fæce, verùm etiam apud Medicorum vulgus percelebris;

Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat.

Sed quod verum eſt ut agnoſcamus, multis ſæculis *Ariſtotele* antiquior hæc opinio eſt; utpote ab Ægyptiorum vetuſtiſſimis ſacris derivata: qui de Luna idem ſentiebant, eóque præſertim nomine ipſam *Matrem mundi* vocitabant

vocitabant; eandémq; à Sole gravidam factam, fœcunda generationis principia enixam demittere, utriuſq; ſexûs naturam in ſe continentem. Quò fortè reſpiciens *Ariſtophanes*, Venerem (quam eandem cum Lunâ deam eſſe, Antiquariorum princeps *Seldenus* noſter (de *Diis Syris Syntagm.* 2. *cap.* 2.) demonſtravit) non Ἀφροδίτην, ſed Ἀφρόδιτον appellavit. Et diſertè *Macrobius* de Cypriis, *Putant eandem* [Venerem nempe] *marem ſimul & fœminam eſſe. Plutarchus* item (de *Iſide & Oſiride*) Μητέρα τὴν Σελήνην τὸ κόσμιον καλοῦσι, καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν οἴονται. His calculum ſuum adjicit *Ælianus Spartianus* (in *Caracallo*) de Carrenis in Meſopotamiâ loquens, *Sciendum*, inquit, *doctiſſimis quibuſq; id memoriæ traditum, atq; ita nunc à* Carrenis *præcipuè haberi, ut qui* Lunam *fœmineo nomine ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper ſerviat: at verò qui marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, neq; ullas patiatur muliebres inſidias. Unde, quamvis Græci, vel Ægyptii eo genere, quo fœminam hominem, etiam* Lunam *Deam dicant, myſticè tamen* Deum *dicunt.* Hinc *Lunus* & *Luna* etiam apud Romanos. Huc inſuper referas licet id quod *Strabo*, homo Cappadox, ſcribit (*lib.* 12.) de Fano τοῦ Μηνός, Dei, in Aſia minore non infrequente; quem & Σελήνην Deam eſſe ait. Porrò neq; Deorum Gentilium ſexum Scriptura ſacra, nec

priſca myſteria gentium diſtinguunt. Ut ut ſe res hæc habeat, certiſſimum eſt, ideo à multis olim gentibus religiosè cultam fuiſſe Lunam, quòd eam mulierum menſibus, & fœcunditati præſidere crederent. Unde *Plutarchus* (*Sympoſ. l.* 3. *quæſt.* 10.) *Dicitur*, inquit, *ad expediendum partum Luna conducere, cum orbe fulget dimidio: quòd laxandis humoribus dolores mitiget. Hinc arbitror etiam Dianæ vocabula* Locheiæ, *quod eſt, partui præfectæ, &* Eilytheiæ, *ſive* Lucinæ, *fuiſſe facta: cùm eadem ſit* Diana, *quæ* Luna. At verò hæ omnes gentes *Magnoperè à verâ lapſæ ratione videntur*; cùm cujuſcunq; ætatis mulieres (modò intra fœcunditatis terminos conſtitutæ ſint) quacunq; Lunæ phaſi repurgentur; cúmque, ut dixi, aliis evacuationis periodi ſint triginta dierum, aliis viginti, aliis inter hos terminos mediæ, pauciſſimis longiore aut breviore ſpatio contineantur; quæ omnia perperam ſuppoſito Lunæ influxui ac regimini propalam refragantur. Cum hac itaq; opinione, quæ ſpeciem magis ſolidæ rationis, quàm vim obtinet, perpetuum nos facimus divortium.

Sunt porrò, qui rejecto à cervicibus mulierum *Reginæ Cæli* imperio, ad neſcio quod τῦ πρέπονΘ., meræ nimirum *decentiæ* aſylum temerè confugiant; ita ſecum diſſerentes: Si quotidie mulieribus menſtrua extillarent, nec ipſæ unquam conciperent, nec virorum

rorum quiſquam in earum ingratos veniret amplexus; quandoquidem τὸ γενητικὸν μόριον, ſive genitale arvum eſſet perpetuâ illuvie conſpurcatum. Quamobrem Naturæ prudentiæ, quæ vel ad minima quæq; extenditur, magnoperè conveniebat, ut decori gratiâ, mulieribus non aſſiduam, nec nimis frequentem, aut ex improviſo recurrentem, ſed intercalarem, certóq; temporis curriculo circumſcriptam inſtitueret evacuationem: quò & viris gratiores eſſent, & liberorum feraciores. At verò quid futilius iſtâ periodorum cauſâ, quàm à merâ decentiâ deducunt? Hoc enim non eſt cauſam effectui adæquatam aſſignare, ſed de Dei ter Opt. Max. conſilio & operibus, ex hominum utilitate, commodiſq; & voluptate dijudicare. Quare relictis his quoque ὀνειροπόλοις, ad alios, ſanioris conſilii ergo, nos conferamus.

CAPUT VI.

Repudiatur etiam novum fermenti uterini *commentum.*

EX Deorum filiis (ita quippe genuinos venerandi ſenis Coi alumnos vocitabat Antiquitas) qui hoc ſæculo eruditione, ſcriptiſq; ſuis inclaruerunt, haud pauci hac opinione conveniunt; *menſtrui* ſcil. *fluxûs periodos fermento cuidam peculiari, uteriq; ipſius indigenæ, attribui debere.* Quam opinionem ut accuratiùs perpendamus, æquum eſt, quæ ab illis Autoribus diffuſè dicta ſunt, in compendium colligamus. Rationum igitur, quas afferunt, ſumma huc tandem redit.

Supponunt primò, menſtruorum in mulieribus materiam eſſe ſolum ſanguinem, non tantùm copiâ luxuriantem, aſt & fermentatione quadam peculiari vehementer exagitatum. Sicut enim maribus, inquiunt, ita & puellis, circa pubertatis annos, ingens contingit corporis univerſi mutatio: ac tum temporis, increſcente jam & vegetiore facto in omnibus partibus, maximè verò in genitalibus, calore vitali, pubes erumpit, ſororiant mammæ, pudenda Cupidinis œſtro titillantur, & exuberans ſanguis, calore tum ſuo, tum ſpirituum ſeminalium attenuatus, circumquaq; diffunditur; vixq; ſuis canalibus coercitus,

coercitus, viam ſibi quærit, quâ foras dimanet. Quamobrem hac ætate, prodidit *Hippocrates, maribus ſanguinis è naribus profuſiones, puellis verò menſium eruptiones obtingere.* Illis nimirum arteriolæ, quæ ad nares conſtitutæ ſunt: his, quæ in uteri fundum, inque cervicem ejus aut vaginam diſſeminantur, faciliùs promptiúſq; reſerantur, ut ſanguini exitum quærenti portulas aperiant. Itaq; qui in univerſo corpore redundat ſanguis, è ramis arteriæ magnæ deſcendentis cruralibus in arterias uterinas deductus; inibiq; fermento uterino, veluti contagio, infectus, & fermenteſcens, eaſdem copiâ ſimul & æſtu diſtendendo aperit; ut ex earum extremis dimanet, profluatq; è ſinu pudoris. *Supponunt* deinde, ut in ventriculo, cæteriſq; ferè omnibus viſceribus ſuum cuiq; ineſt fermentum; ita & utero ſimiliter innata eſſe ſemina quædam fermentis pneumaticis analoga; quæ per omnia corporis ſeſe diffundunt, totamq; ſanguinis maſſam effluviis irrequietis, activis, motumq; expanſivum cientibus, imbuunt & exagitant, adeo ut is, ſtatis quibuſdam temporibus, ſemel nempe ſingulis menſibus, volatiliſetur magis, & acriùs efferveſcat. Hincq; provenire exiſtimant, quòd mulieres à decimo-quarto circiter ætatis anno, ad quinquageſimum uſq; ſingulis ferè menſibus per uterum repurgentur. Adhæc *ſupponunt*, iſtuc fermentum, prout benè aut malè

conſtitutum eſt, mulieribus eſſe vel proſperæ valetudinis, vel adverſæ *pancrenen*; uſq; adeo, ut eidem aut deficienti, aut depravato adſcribere non dubitent ingentem illam morborum phalangem, quam Clariſs. viri, *Andr. Laurentius* (*l. 7. Hiſt. Anatom. quæſt.* 11.) & *Ludovic. Duretus* (*in Append. de Vulner. ad com. text.* 44.) accuratiſſimè luſtrarunt. Atq; hæc quidem epitome eſt novæ illius doctrinæ, quæ ſtatos menſtruorum circuitus ad fermentum utero innatum refert. Quam qui diligenter perpenderit, ſanguiniſq; cùm naturam, tum perpetuam circuitionem penitiùs introſpexerit; facilè (opinor) fatebitur, eandem omninò precariis, parúmq; firmis niti fundamentis. Quod ne quis à me gratis tantùm, & ſine juſto argumentorum pondere dictum putet; hîc mihi latiùs expatiandum eſt, ut in ipſam quæſtionis arcem commodiùs demum invadam.

DIGRESSIO,

Quâ probatur, ſanguinem in vivo animali fermenteſcere *nunquam.*

EXorta eſt hoc ſæculo, commentorum utiq; Philoſophicorum feraciſſimo, ex ergaſteriis Chymicorum, nova quædam doctrina, quâ ſtatuitur, *Omnibus animalium perfectiorum viſceribus ſuum cuiq; innatum eſſe fermentum*

fermentum peculiare. Hæcq; apud quamplurimos Naturæ arcanorum ruſpatores uſque adeo obtinuit, ut quicquid motuum inteſtinorum, quicquid concoctionum, ſecretionum, aliarumq; id genus mutationum in corpore animalis, ſeu individui conſervandi, ſeu ſpeciem propagandi gratiâ, ex Naturæ inſtituto peragitur: id ſtatim totum, magnâ ſaltem ex parte, ad neſcio cujus fermenti, in organo ad illud officium propriè deſtinato latentis, energiam & operationem referre non dubitarint. Quin etiam vix ullam licet vel functionem, vel actionem cujuſcunq; facultatis integro animali conceſſæ, nominare; quam ſuppoſiti hujus defenſores mox à fermentatione non deducerent. Quaſi partis, cujus eſt actio illa, organica conſtitutio per ſe foret muneri ſuo rectè obeundo inſufficiens, abſq; ope ac cooperatione ſpecifici cujuſdam fermenti: aut quaſi tota œconomia animalis ab aliâ nullâ, quàm variorum fermentorum harmoniâ dependeret. Sicut *Heraclitus Epheſius*, apud *Diogenem Laertium*, fomniaſſe dicitur, πάντα ψυχῶν εἶναι καὶ δαιμόνων πλήρη, qui actionibus humanis præſiderent: ita & iſti homines ſibi ſunt imaginati, nullas non animalium partes plenas eſſe *pneumaticis* fermentis, quæ occulto ſuo influxu illarum actiones regunt, moderantur, promovent, ſed & nonnunquam impediunt etiam, pervertuntque. Hocq; inſomnium

nonnulli ſcriptis in publicam lucem emiſſis aſſertum iverunt, eâ utiq; confidentiâ, ac ſi nemini mortalium liceret de ejuſdem certitudine dubitare: cùm ipſi tamen rem neq; rationibus fidem cogentibus, nec Autopſiæ teſtimonio comprobare magis valeant, quàm dictus *Heraclitus* valeret Dæmones ſuos hominibus conſpiciendos exhibere. Ex hodiernis namq; Anatomicis (qui proculdubio Anteceſſores omnes & dexteritate diſſecandi, & intimos viſcerum receſſus perſcrutandi ἀκριβείᾳ longè excellunt: quiq; porrò, accuratioris introſpectionis gratiâ, Microſcopiorum auxilio oculorum aciem reddere ſolent acutiorem) ex his, inquam, quis hactenus affirmare ſuſtinuit, reperiſſe ſe in hoc vel illo corporis animalis loco quidpiam humoris, cui fermenti, propriè ſic dicti, vires ac nomen meritò attribueret? Hæc dum loquor, ſanè haud immemor ſum vulgaris doctrinæ de *Acido* quodam ſucco, qui in variorum animalium *ventriculo* repertus, fermenti vices præſtare creditur. Sed ego quidem de ipſo hoc etiam ſucco aliter ſentiendum exiſtimo. Reperiri Acidum quoddam phlegma in quamplurimorum ventriculis animalium, lubens concedo. Nec inficior, idem, menſtrui adinſtar, ad ſolidorum ciborum, in ventriculi cavitatem exceptorum, liquationem ac diſſolutionem aliquatenus conducere poſſe: utpote quod qualitate quadam incidente, penetran-

tranteque, ac dissolvente manifestò præditum est. Illud tamen pernego, idem phlegma aut verum esse *fermentum*, aut ad genuinorum fermentorum naturam ac proprietates, operandi modo, tam propè accedere, ut idcircò mereatur in illorum classe censeri. Alimentorum namq; solidorum liquatio illa, sive contabescentia, quæ *Chylificatio* dicitur, quamq; *fermentationi* vulgò adscribunt; in ventriculo perfici videtur motibus quibusdam placidis, lenibus, & semper (in statu sanitatis) imperceptibilibus; quemadmodum cuncti sobriè viventes in semet ipsis à pastu experiuntur: non autem cum violentis illis commotionibus, ac irrequietis exagitationibus quæ à nullo non fermento dum in actum erumpit, profluunt, omnemq; fermentationem inseparabiliter comitantur. Et ad hoc fortè respiciens Nobilissimus D. D. *Rob. Boylius*, Philosophorum facilè princeps (*lib. de nat. Hist. sang. humani, pag.* 117.) palàm professus est, se de ipsâ Acidi hujus Digestivi in ventriculo *existentiâ*, nedum de fermentandi facultate eidem precariò adscriptâ, dubitare. *Si certò scirem*, inquit (*sunt enim rationes quædam, alibi à me explicatæ, quibus animus meus hac de re in ambiguo detinetur*) *alimentorum digestionem ab acido fermento, seu succo, ventriculi hospite, undecunq; demum illuc delato, effici; profectò pronus essem suspicari, acidas nonnullas particulas cum sanguine commiscerí*

nonnulli ſcriptis in publicam lucem emiſſis aſſertum iverunt, eâ utiq; confidentiâ, ac ſi nemini mortalium liceret de ejuſdem certitudine dubitare: cùm ipſi tamen rem neq; rationibus fidem cogentibus, nec Autopſiæ teſtimonio comprobare magis valeant, quàm dictus *Heraclitus* valeret Dæmones ſuos hominibus conſpiciendos exhibere. Ex hodiernis namq; Anatomicis (qui proculdubio Anteceſſores omnes & dexteritate diſſecandi, & intimos viſcerum receſſus perſcrutandi ἀκριβείᾳ longè excellunt: quiq; porrò, accuratioris introſpectionis gratiâ, Microſcopiorum auxilio oculorum aciem reddere ſolent acutiorem) ex his, inquam, quis hactenus affirmare ſuſtinuit, reperiſſe ſe in hoc vel illo corporis animalis loco quidpiam humoris, cui fermenti, propriè ſic dicti, vires ac nomen meritò attribueret? Hæc dum loquor, ſanè haud immemor ſum vulgaris doctrinæ de *Acido* quodam ſucco, qui in variorum animalium *ventriculo* repertus, fermenti vices præſtare creditur. Sed ego quidem de ipſo hoc etiam ſucco aliter ſentiendum exiſtimo. Reperiri Acidum quoddam phlegma in quamplurimorum ventriculis animalium, lubens concedo. Nec inficior, idem, menſtrui adinſtar, ad ſolidorum ciborum, in ventriculi cavitatem exceptorum, liquationem ac diſſolutionem aliquatenus conducere poſſe: utpote quod qualitate quadam incidente, penetran-

tranteque, ac diſſolvente manifeſtò prædi-tum eſt. Illud tamen pernego, idem phleg-ma aut verum eſſe *fermentum*, aut ad genui-norum fermentorum naturam ac proprieta-tes, operandi modo, tam propè accedere, ut idcircò mereatur in illorum claſſe cenſeri. Alimentorum namq; ſolidorum liquatio illa, ſive contabeſcentia, quæ *Chylificatio* dicitur, quamq; *fermentationi* vulgò adſcribunt; in ventriculo perfici videtur motibus quibuſ-dam placidis, lenibus, & ſemper (in ſtatu ſa-nitatis) imperceptibilibus; quemadmodum cuncti ſobriè viventes in ſemet ipſis à paſtu experiuntur: non autem cum violentis illis commotionibus, ac irrequietis exagitationi-bus, quæ à nullo non fermento, dum in actum erumpit, profluunt, omnemq; fermentatio-nem inſeparabiliter comitantur. Et ad hoc fortè reſpiciens Nobiliſſ. D. D. *Rob. Boylius*, Philoſophorum facilè princeps (*lib. de nat. Hiſt. ſang. humani, pag.* 117.) palàm profeſ-ſus eſt, ſe de ipſâ Acidi hujus Digeſtivi in ventriculo *exiſtentiâ*, nedum de fermentandi facultate eidem precariò adſcriptâ, dubitare. *Si certò ſcirem*, inquit (*ſunt enim rationes quædam, alibi à me explicatæ, quibus animus meus hac de re in ambiguo detinetur*) *alimen-torum digeſtionem ab acido fermento, ſeu ſuc-co, ventriculi hoſpite, undecunq; demum illuc delato, effici; profectò pronus eſſem ſuſpicari, acidas nonnullas particulas cum ſanguine com-miſceri*

miſceri poſſe. Id tamen minimè impediret, quin ſanguinis humani ſpiritum ad volatilium Alcalium claſſem referendum eſſe cenſerem, &c.

Illuſtri huic in Philoſophia Heroï planè ſuffragatur alter literarum Antiſtes *Entius* noſter, qui (*Animadverſ. in Thruſtoni Diatrib.*) Chylificationis opus, non fermentationis ope, ſed tantùm per ciborum in ventriculo *liquationem*, ſive contabeſcentiam, fieri diſerte docet. Cujus rei eximium ſeſe nobis offert exemplum in Lucii piſcis faucibus: ubi adhuc hærentem ſæpe vidimus piſcem grandiuſculum, non ſecus quàm in ipſo ventriculo, in mucum paulatim contabeſcere. Non liquet itaque, ullum aut ventriculo ineſſe, aut ad cibos in eum ingeſtos per modum fermentationis tumultuoſè diſſolvendos requiri fermentum. *Tumultuosè* diſſolvendos, dixi; quia pleriſq; omnibus ſuccis fermentatione ſubbullientibus illud commune eſt, ut ſcilicet materia nondum ex integro diſſoluta, & defæcata, variè ſeſe agitando, turbas concitet.

Idem etiam de *bile*, & *ſucco Pancreatico*, plerunque, antequam *duodenum* ingrediuntur, in *ductum communem* coeuntibus (ut muneris quoq; parilitatem demonſtrent) ſentiendum eſſe exiſtimo. Fieri enim poteſt quidem, ut utrumq; cum delabente jam chylo commiſtum, nonnihil ad ulteriorem ejus cùm attenua-

attenuationem, tum exaltationem; itemque ad inutilium ejusdem partium ab utilibus faciliorem separationem in intestinis conferat: hæc tamen omnia præstare potest, sine ulla fermentatione, cujus ne minima quidem apparet necessitas, nec ullum in nobis ipsis indicium, in statu saltem naturali, persentiscimus unquam. A statu autem præternaturali concludere de naturali, merus est paralogismus, ac φλυαρία vel pueris deridenda.

Jam verò, si ex isthoc suppositorum fermentorum pari, quod tantoperè à quamplurimis Medicinæ studiosis, maximè ab iis, qui in Cl. *Franc. Sylvii* hypothesin jurarunt, hodie celebratur; neutrum plus habeat juris ad sibi vendicandum fermenti nomen, quàm quod ipsorum patroni, ex obscurâ quadam, ac longinquè petitâ similitudine seu analogiâ, quam inter eorum naturam, qualitates, & effectus, & fermentorum, verè sic dictorum, proprietates, sibi sunt imaginati, iis precariò attribuere: quid tandem dicemus de reliquis fermentis invisibilibus, quæ in singulis ferè corporis animalis partibus nidulari perhibentur, revera tamen cernuntur nusquam? Certè nemini mortalium vitio verti debet, quòd de talium omnium existentiâ dubitet. Quod ad me attinet, ingenuè profiteor, si quis affirmare sustinuerit, illa omnia fuisse in novum ignorantiæ asylum primitùs excogitata, huic me neutiquam succensurum.

Attamen

Attamen quæ hactenus à me dicta ſunt, ad oſtendendam fermentorum, in ventriculo & inteſtinis naturaliter exiſtere ſuppoſitorum, improbabilitatem, non ita intelligi cupio, quaſi in animalis corpore nullum omninò humorem, qui in ſtatu præternaturali ſit fermenteſcendi capax, contineri crederem. Id enim ab animi mei ſenſu alieniſſimum eſt. In morbis quippe quibuſdam, præſertim in febribus, ſanguinem exæſtuare, turbaſq; ciere (quæ ſæpè tempeſtivâ venæ-ſectione componuntur) ultroneus agnoſco: etiamſi veritati ſummè conſentaneum videatur, efferveſcentiam illam non aliundè quàm à ſucco alibili inſigniter depravato, atq; à ſanguine alieno, proficiſci. Solus enim ſuccus nutritius (immortali *Entio*, rectâq; ratione atteſtantibus) in pus abit, quæ eſt fermentationis quædam ſpecies: ſanguinem verò *ſuppurare*, nullis (quod equidem ſciam) argumentis conſtat.

Neq; etiam (quod adhuc magis novum fortè, ac à communi Medicorum doctrinâ alienum pleriſq; videbitur) hactenus conſtitit, eundem *ſanguinem cujuſlibet fermentationis tumultum unquam ſubire*. Quod ne quis temerè à me dictum putet, argumenta, quibus iſtam in ſententiam inducor, in medium afferam. Non defuiſſe ſcio, qui ſanguinem, perennem caloris innati fontem, vitæq; ſedem, in corde, pulmonibus, & arteriis majoribus,

joribus, perpetuam quandam pati fermentationem, docerent: imò in illâ ipsâ fermentatione non dubitarent formalem vitæ rationem collocare, eandemq; proinde *vitalem* sanguinis *fermentationem* vocitarent. Hiq; sanè non è trivio Philosophi fuere, sed viri ex summâ doctrinâ, eruditissimísq; suis scriptis præclari. Super hâc tamen re, liceat mihi, illibatâ eorum in cæteris auctoritate, aliud ac planè contrarium sentire. Nam quæ adversus eorum, de necessariâ, & perpetuâ sanguinis in præcordiis fermentatione, placitum pugnant; neq; pauca sunt, nec levi velitatione superanda. Agedum igitur, vires nostras in aciem ex ordine educamus.

Dico itaque, quod asserere conati sunt, ne minimam quidem *verisimilitudinis* speciem præ se ferre videri.

Primò enim, omnium, qui in animalis corpore reperiuntur, humorum, sanguis concipiendæ fermentationi minimè idoneus est: convenit quippe fermentatio humori *recenti* & *musteo*; sanguinis autem major pars *vetus* hospes est, & per repetitas circuitiones probè *defæcata*; ut depositis jam in propriis emunctoriis recrementis, ulteriore nil opus habeat depuratione. Certè paucæ solùm guttulæ succi chylosi, per *ductum thoracicum* delati, sanguinis rivulo, per *venam subclaviam* delabenti, commiscentur. Alioquin ipsemet ille sanguis præ cætero albesceret (ut solertis-

simè

ſimè infert nobilis *Entius*) quod tamen à nemine unquam animadverſum arbitror. Tam exiguum autem chyli è venâ *ſubclaviâ* in ſanguinis torrentem depluvium, inſufficiens cenſendum eſt, ad fermentationem eidem inducendam.

Secundò, fermentatio omnis ab *acido*, vel non ſine eo, provenit: ſanguis autem eſt liquor mitis, blandus, & *ſuavis*; ut ipſe ſapor dulcis indicat. Hîcq; rurſum provoco ad ſummum illum virum, juxta & æquiſſimum judicem *D. D. Rob. Boylium*: qui (*lib. de ſang. human. pag.* 104.) hæc habet. *Ab experimentis à me factis, haud tantam concepi ſpem, ut ex humano ſanguine expectarem ſpiritum vinoſum ſeu ardentem: etiamſi talis plerunq; ex liquorum fermentatione emergat. Eoq; minus animatus ſum iſtiuſcemodi ſpiritum ſperare, quòd adhuc incertus ſum, an ulla fermentatio, propriè ſic dicta, unquam fiat in ſanguine humano, ſive intus in corpore remanente, ſive foras effuſo*, &c. Quo utique oraculo nihil luculentius, nihil ad ſubruendam fermentationis in ſanguine hypotheſin validius unquam dici poteſt. Verùm non adeo rationum egeni ſumus, ut illi ſoli acquieſcere cogamur.

Tertiò, fermenta, cujus demum cunq; generis ſint, ubi liquoribus heterogenearum particularum plenis commiſcentur, in virtute ſuâ exerendâ ſunt admodum *tardigrada*, paulà-

paulatimq; activas ſuas diffundunt particulas per univerſam liquidi maſſam, priuſquàm inibi generalem valeant commotionem ac efferveſcentiam concitare; quemadmodum domeſticis quotidie experimentis edocemur. Novus autem chyli proventus, ſanguini in venâ ſubclaviâ permiſtus, eodem ferè temporis momento, ſaltem intra paucularum cordis pulſationum ſpatium, unà cum ſanguinis torrente, abripitur in dextrum cordis ventriculum, indeq; per pulmones in ſiniſtrum trajicitur, unde mox exprimitur in aortam: adeo ut rapidiſſimus hic novæ mixturæ motus, nullam omninò *morulam*, nullum tempus, quo fermentatio excitari poſſit, concedat. Nulla itaq; his in locis datur ſanguinis fermentatio. Plura de fermentorum in fluidis heterogeneis tardo motu ſcire cupientes mitto ad *Joan. Alphonſ. Borelli de motu animal. part. 2. propoſ. 137. pag. 277.* ubi is triplicem affert tarditatis iſtius rationem.

Quartò, deeſt etiam ſanguini, cordis vaſa & ventriculos permeanti, *locus* ad fermenteſcendum requiſitus. Ad liquorum heterogeneorum quamcunq; fermentationem neceſſariò requiri locum idoneum, in quo liberum obtineant ſpatium, ut diſſimilares, & inter ſe tumultuantes eorum particulæ impetuoſam commotionem, & quaquaversùm exagitationem patiantur; omnibus notum eſt, qui animadverterunt, vini *muſtum*, in anguſtioribus

bus arctéq; obturatis doliolis incarceratum, nunquam fermenteſcere, ſed ſemper quieſcere in ſtatu cruditatis, ob fermentationis defectum. *Vena* autem *cava*, cordis *ventriculi*, hiſq; annexæ *arteriæ* ſanguine ad diſtentionem uſq; replentur, donec is à cordis contractione ſive *Syſtole* exprimatur; quo facto, mox, imò eodem ferè temporis momento, indeſinenter irruente ſanguine denuò implentur; ut hæc vitæ chorea, ſive ſanguinis per arterias venaſq; omnes παλινδρομία, nunquam intermittatur. Sanguini ergo tam rapidè, tantaſq; per anguſtias circumpulſo, quid reſtat *loci*, in quo fermenteſcat? Ut rem conſimili *exemplo* illuſtremus. Si guttulæ aliquot aquæ, vini rubri, & hydrargyri, aeriſq; nonnihil in fiſtulam vitream exilem immittantur; quantumvis agitentur, & concutiantur, nunquam tamen motibus contrariis ac vertiginoſis (quales in omni fermentatione contingant, neceſſe eſt) confundi, & inter ſe ita permiſceri poſſunt, ut ſedes ſuas invicem commutent. Nec aliter utiq; res contingere poteſt. Fluida enim non ex indiviſibilibus componuntur, ſed ex moleculis quantis, figuratis, duris, & anguloſis, quæ ſimplici duntaxat contactu uniuntur: ac propterea in ſtrictiſſimis canaliculis non poſſunt contrariis vertiginoſiſq; motibus agitari; quoniam diverſæ illæ, & tantùm contiguæ figuræ aggeriem componunt operi *Muſivo*, ſive teſſellato

teſſellato non diſſimilem; proindéque una molecula ſuper aliam excurrere nequit in loco valdè reſtricto, in quo ita dilatari non poſſunt, ut verticibus anguloſis tranſitum concedant; præſertim cùm iſtuc impedimentum ab internis aſperitatibus fiſtularum aliquantùm augeatur. Quamobrem, ſi fermentatio contrariis, vertiginoſis, & expanſivis fluidorum particularum motibus efficiatur (& ſic effici omnes agnoſcunt) certè in anguſtiis illis fiſtularum nequaquam effici poteſt. Cæterùm fermentatio omnis præterea requirit partium conturbationem, & rarefactionem, & efferveſcentiam, quæ multò majus ſpatium exigit; ut in ferventibus & ſubbullientibus per fermentationem liquoribus videre eſt. Ergò adhuc magis impoſſibilis erit motus fermentativus (qui, præter particularum ſimplicem vertiginem, exigit etiam earundem expanſionem & rarefactionem) in dictis anguſtiis. Atq; de ſuppoſitâ ſanguinis in præcordiorum anguſtiis fermentatione idem dici poteſt; ſcil. eam æquè impoſſibilem eſſe.

Hoc equidem loco non poſſum non vehementer demirari, Excellentiſſimum ævi hujus Mathematicum, ac in diſquiſitionibus etiam Anatomicis diu verſatum, *Joan. Alphonſ. Borellum* in eam inductum fuiſſe ſententiam, ut & crederet, & (*lib. de Motu animal. part.* 2. *propoſ.* 30.) publicè doceret,

fermentari ſanguinem in præcordiis, idq; vitæ animalis ſuſtentandæ neceſſarium eſſe. Verba, quibus utitur, hæc ſunt. *Triplicem motum in ſanguine animalis viventis reperiri, evidentiſſimum eſt. Primus eſt quidem, quo partes ex quibus componitur, agitantur juxta earum indolem, & naturæ exigentiam, qui propriè* motus fermentativus *vocatur, &c.* Poſtea tamen (*ejuſd. lib. propoſ.* 136.) ſtrenuè aſſerit, fermentationem, non in anguſtioribus fiſtulis, ſed in vaſis amplis fieri: ac (*propoſ.* 137.) demonſtrare contendit, nullam fermentationem, niſi tardo motu, & diuturno tempore, effici poſſe. Quas duas propoſitiones ego quidem veras eſſe agnoſco: verùm non video quâ ratione poſſint ad concordiam cum priore (nempe de ſanguine in arteriarum canaliculis fermenteſcente) reduci. Hunc itaq; nodum doctioribus ſolvendum, utì tenuitatem meam decet, relinquo.

Cùm igitur (ut ſuper hac quæſtione dictorum capita in unum paragraphum contrahamus) ſanguis ſuâ conſtitutione ſit ad fermenteſcendum minimè aptus; ut-pote qui propiùs ad Lactis benignam naturam, quàm ad ſpiritualem vini acrimoniam accedit, quicquid *Williſii* ἀκόλουθοι in contrarium dicant: cùm exigua chyli ſupplementa, quæ quotidiè in ſuam excipit voraginem, non ſufficiant ad excitandam in eo fermentationem: cúmque

que nec brevitas temporis, quo per cor transmittitur, neq; canaliculorum, in quibus fluit, anguſtiæ, ullam in eodem fermentationem effici permittant: cùm hæc ita ſe habeant, inquam, quid ſupereſt, cur in ſententiam illorum concedamus, qui fermentationem ad ſanguinis perfectionem & vitalitatem neceſſariò requiri ſtatuerunt?

Quæ opinio, quàm ſit rationi diſſentanea, ex jam dictis (niſi egregiè nos hallucinamur) luculenter apparet. Sequitur nunc, ſtrictim examinemus, an non eadem videatur etiam *Naturæ prudentiæ* manifeſtè repugnare. *Naturæ* equidem mos eſt, ſemper directas ſibi, & maximè compendioſas conſtituere methodos, quibus fines ſuos aſſequatur: nec unquam inſtrumenta temerè multiplicare, ubi ſimplicia ſufficiant. Cùm illa igitur in ſanguine per cordis ventriculos tranſeunte inſtituerit (ut nos alibi diffuſè probavimus) motum quendam placidum, regularem, & perbenignum, quo ejus heterogeneæ, ſive diſſimilares particulæ omnes ita inter ſe agitarentur & concuterentur, ut mutuo ſuo conflictu ac luctâ producerent perpetuam *expanſionis & contractionis* alternationem, unde *calor vitalis* accenderetur, & in quâ *vitæ* ipſius eſſentia ſive formalis ratio conſiſteret: annon ejuſdem almæ matris ſolertiæ quodammodo injurii eſſemus, ſi affirmaremus, ipſam *alium* quoq; ſimul inſtituiſſe in eodem

ſanguine motum inteſtinum, nempe *fermentationem*; quæ non modò non-neceſſaria foret, & enormis, verùm etiam *priorem* vel interturbando impediret, vel reſiſtendo penitùs deſtrueret? Hoc ſi feciſſet, indubiè habuiſſet ſeipſam fruſtratui. Cæterùm etiamſi concedatur, ex duobus illis motibus alterum alteri nullatenus eſſe diſparilem; & alterutrum ſeorſùm aſſumptum, ex æquo conducere poſſe ad concitandam in ſanguine volatilium ſeu elaſticarum particularum cum minùs agilibus colluctationem, & conſequenter ad exinde oriundam vitalem ſanguinis in corde *Miçationem* perennandam (quorum tamen neutrum concedi debet, ob rationes alibi à me datas) ſemper tamen quærendum reſtabit, cur Natura duplicem inſtitueret motum, ubi eorum alteruter per ſe ſuffeciſſet ad illud, quod ipſa ſibi propoſuerat, efficiendum? Præſtat itaq; credere, eam hîc unicum motum, eumq; placidum, æquabilem, ac regularem (qualem ſuprà deſcripſi) inſtituiſſe. Hæc quippe perſuaſio Naturæ prudentiæ nequaquam diſconvenit.

Addam (ὡς ἐξ ἐπιμέτρου) illud quoq; argumentum. Cùm *calor actualis* nihil aliud ſit, niſi luctatio quædam expanſiva particularum calidi; cúmq; ſanguinis in corde *micatio* conſiſtat in niſu expanſivo ſpirituum, ſive particularum elaſticarum, & reniſu minùs activarum (quorum utrumq; dudum jam à me

me demonſtratum eſt in 3. *prælect. Anatomic.* ubi de animal. vitæ ratione formali ex profeſſo egi) neceſſariò ſequitur, eandem micationem eſſe calorem actualem; eoq; nomine è numero fermentationum excludendam. Nam *caleſcere*, infinitis propè rebus competit, quæ *fermenteſcere* nequeunt: ut quamplurimis ex inſtantiis ſolertiſſimè comprobavit Cl. *Gliſſonius* noſter, in *Append. de Fermentat.* quò Lectorem refero. Ac proculdubiò ignoratio inſignis illius diſcriminis, quod inter calorem ſanguinis vitalem, ſive motum vitalem, & motum fermentationis intereſt; ita *Williſio*, aliiſq; viris etiam eximiis impoſuit, ut ſanguinis motum vitalem pro fermentatione habuerint: non ſatis conſiderantes, motum vitalem, qui idem eſt cum calore actuali, ſanguinis, multò nobiliorem eſſe, ac ſimpliciorem omni fermentatione; ut fuſè probare poſſem, niſi præſenti noſtro diſconveniret inſtituto. Ex dictis itaq; concludo, ſanguinem, motûs ſive caloris vitalis ſubjectum, fermentatiònem prorſus neſcire. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Finitâ jam tandem digreſſione, in viam revertamur. Et peropportunè nunc eò pervenimus, unde in ipſam litis hîc conteſtatæ arcem invadamus. Everſo etenim vulgari dogmate, de ſanguine in corde, arteriiſq; majoribus perpetuò fermenteſcente; non eſt, quòd multùm ſudemus in refutandâ eorum

opinione, qui ſtatos Menſtruorum circuitus, à neſcio quo fermento in uteri adytis deliteſcente, ac ſemel tantùm ſingulis menſibus in actum erumpente, deducere ſunt conati. Nam ſi ſanguini ampliores venæ cavæ, cordis, & arteriarum huic annexarum canales permeanti, neq; locus idoneus, neq; tempus conveniens, ad concipiendam in tranſitu fermentationem, concedatur: profectò non video, quâ ratione quis ſibi imaginari poſſit, eundem in rapido ſuo per uteri circum tranſcurſu, à fermenti cujuſdam effluviis infici, & exagitari poſſe: cùm uteri vaſa ſanguifera longè anguſtiora ſint; cúmq; ſanguis ipſemet, & per illa, & per ipſam uteri ſubſtantiam, pari velocitate, ac per cæterorum viſcerum parenchymata, ſuam περίωσιν perficiat. Certiſſimum eſt enim, ſanguinis περιείλησιν, non æſtuoſo quidem, ſed ſedato & æquabili motu, conſtantiq; circumrotatione abſolvi. Ad quam veritatem credo *Nobilem Entium* reſpexiſſe, quando adverſus doctiſſ. *Thruſtonum* aſſeruit, motum illum tremulum ab illiſione ſanguinis arteriæ magnæ, ſive *aortæ* inditum, ad arteriarum ultima durare: quemadmodum in fidibus uſu venit; ubi ſi illarum unum extremum digito percuſſeris, ad alterum confeſtim eadem micatio pertingit. Cùm igitur arteriolarum vel exiliſſimarum par ratio ſit, & à novo ſanguine, in uteri arteriolas per cordis ſyſtolen

ſtolen immiſſo, qui præceſſerat, in venulas uſq; protrudatur; nec accedere in has novus ſanguis poſſit, niſi priſtinus locum ceſſerit; deniq; cùm vaſa ubiq; pateſcant ad ſanguinem extemplò transferendum: his, inquam, conſideratis, quomodo fieri poteſt, ut ſanguis tamdiu in uteri aut vaſis aut ſubſtantiâ moram trahat, quamdiu ad concipiendam inibi fermentationem requiſitum ex jam dictis videtur? Fieri quidem poteſt, imò haud rarò contingit, ut ſanguis, ſive craſſitie ſuâ & viſciditate exitum ſibi præcludens, ſeu aliter in itinere impeditus, in uteri anguſtiis aliquandiu reſtet: verùm in hoc caſu, non fermentatio ſanguinis, ſed vel uteri inflammatio, vel chloroſis, vel (ubi contumacior atq; diuturnior obſtructio eſt) tumor ſcirrhoſus conſequi ſolet. Eſtq; ſanguis ubicunq; ſtagnaverit, ad concreſcendum ſive grumeſcendum, quàm ad fermenteſcendum, aut ſuppurandum, ſuâ naturâ longè proclivior. Præterea, quis, niſi ſanguinis continuæ περιώσεως ignarus, & in recentiorum Anatomicorum ſcriptis hoſpes, credere poteſt, aut ſanguinem in uteri vaſis per plures dies reſtitare poſſe, idq; ſine ullo ſanitatis detrimento; aut tantam in iiſdem vaſis congeri ſanguinis copiam, quanta ſolet unâ periodo effundi? Horum namq; ſi alterutrum fieret, proculdubiò in mulieribus, inſtante menſtruorum fluxu, repentinâ morte extinctis, ac diſſectis, uteri

vaſa mirum in modum diſtenta inveniri deberent: at illud nunquam inveniſſe ſe profeſſus eſt diſſectorum accuratiſſimus *Regner. de Graaf*, nec ab aliis inventum legitur; & licet aliquantulum magis ſolito interdum turgerent, illud tamen parùm facere poſſet, ad quantitatem ſingulis menſibus evacuari ſolitam. Quamobrem——*Avius à verâ longè ratione recedit*, cui perſuaſum eſt, ſanguinem in uteri vaſis aliquandiu ſtagnantem, ac peculiari quodam fermento interim exagitatum, efficere ut mulieribus catamenia ſtatis periodis profluant.

Huic verò——*Linquitur hîc tenuis latitandi copia quædam.* Nimirum, habito ad menſtrui fluxûs tum *antecedanea*, tum *ſymptomata* ſolita reſpectu; per inductionis modum, ita forſitan argumentabitur. Ad periodicam catameniorum effluxionem requiri præcedaneam ſanguinis fermentationem, vel hinc inferri poteſt; quòd inſtante illo fluxu, æſtus quidam circa uterum, & ad ſpinam plerunq; perſentiſcitur; exoriturq; pariter manifeſtus dolor à partium circum vicinarum diſtentione, quæ interdum ad coxas uſq; & lumbos extenſa, lumbaginem æmulatur, ſenſumq; infert laſſitudinis. Aliquando etiam uſu venit, ubi uterus ſupra modum æſtuat, nec facilis patet effluxuro ſanguini via, ut univerſa ſanguinis maſſa, præ concepto orgaſmo, impetum faciens, in toto corpore

pore tenſionem efficiat manifeſtam; & modò in his, modò in illis partibus phlogoſis quædam excitetur. Procedente autem tumultu, ipſemet uterus laxatur, moleq; major, quàm reliquo tempore menſibus intermedio, evadit. Hinc reſeratis demum uteri clauſtris, exitum ſibi aperit jam attenuatus per fermentationem ſanguis, paulatimq; *effuſis imbribus atra* tempeſtas componitur. Idem quoq; ex iis, quæ jam incipientem comitantur fluxum, colligere licet. Nemini quippe Medicorum ignotum eſt, mulierum pleriſque, dum menſtrua patiuntur, non uterum ſolum malè multari, ſed caput etiam ſimul dolere, crura laſſitudine ſpontaneâ fatiſcere, ventriculum a orexiâ affici & βραδυπεψία, reliquaque membra trahi in triſtem ægritudinis ſympathiam. Hæc autem ſymptomatum Συνδρομὴ non invaderet miſellas, niſi univerſus ſanguis æſtu fermentationis exagitaretur.

Veruntamen infidi hujus aſyli portas facilè diffregerit, qui dixerit; eſſe quidem veriſſimum, iſtiuſcemodi varia ſymptomata menſtruatis ſub initium fluxûs ſæpe obtingere: ſed eadem à ſanguine tunc temporis fermenteſcente, horſùm illorſùmq; fluctuante, vaſáq; ſua conſueto magis diſtendente, neutiquam exoriri. Nam primò veritati & œconomiæ animali magis conſentaneum videtur, capitis gravedinem, ventriculi nauſeam,

cibi

cibi faſtidium, crurum ἀχεράτειαν, lumborum dolorem, cæteráq; id genus ſymptomata, non à ſanguinis aut redundantiâ aut orgaſmo, ſed potiùs à ſeroſâ praváq; ſucci nutritii materiâ quodammodo æſtuante, ſibique, poſt aliquandiu durantem in tubulis uterinis ſtagnationem, exitum per anguſtos uteri meatus jam tum quærente, provenire. Omnia enim & ſingula in *ſyſtemate nervoſo* ſedem habent; ipſoq; eo nomine ſatis indicant, originem ſe ſuam ſucco cuidam degeneri, in nervis ac membranis nidulanti, eorumq; fibrillas motu ſuo, vel acrimoniâ irritanti, debere. *Deinde*, quamvis conceſſum eſſet, poſſe arterias & venas, tum in uteri confiniis, tum alicubi corporis, à fermenteſcente ac efferveſcente ſanguine ſupra modum diſtendi: inde tamen non ſtatim ſequeretur, talem diſtentionem adeo fore dolorificam, ut dictis ſymptomatibus per ſe ſufficeret inducendis. Quis enim Anatomicorum, precor, tam exquiſitum ſentiendi acumen arteriis & venis unquam attribuit? Haud equidem illud memoriam meam fugit, nempe *Galenum* (in *Aphoriſm.*) renum affectus, ſi vaſa occupant, dolores vehementes inducere, affirmare: & (2. *de loc. affect.*) doloris quandam ſpeciem agnoſcere in venis & arteriis. At memini etiam, eundem graviſſimum Autorem (de *Morbor. different.*) vaſis omnibus ſenſum denegare. Nec aliter diſſentientes hos locos conci-

conciliabis, nisi dixeris, sentire quidem venas & arterias, sed admodum exiliter; vel eas, quæ membranis teguntur communibus, sentire; illas autem, quæ per viscus oberrant, aut parti alicui adhærent, non sentire. In *causi*, sive febris ardentis vigore, si unquam aliàs, certè permagna fit sanguinis efferveſcentia; nec dubitari potest, quin & arteriæ simul, & venæ per efferveſcentiam illam aliquantùm distendantur; hoc enim ex autopsiâ patet: neminem tamen hactenus audivi de oriundis inde doloribus conquerentem. Non est igitur, quòd quis menstruatarum dolores ad venarum & arteriarum distentionem referat. Longè consultius, meo quidem judicio, videtur, totam modò memoratorum symptomatum cohortem, ab uteri, & membranarum ei annexarum malè affectis *nervis* deducere. Est enim nervorum ac fibrarum (quæ nervos pro radicibus suis agnoscunt) beneficio, quòd quælibet partes animalis, sive voluptatis, sive doloris sensu afficiuntur. Et uterum, utpote plurimis nervis instructum, non solùm exquisitissimo sensu dotatum esse; sed & universum ferè corpus in consensum trahere, omnibus pro confesso habetur. Nemini sanè (paulùm saltem in curandis mulierum affectibus exercitato) ignotum est, quàm prava symptomata uteri ascensus, descensus, perversio, & convulsio concitent; quàm stupendas animi aberrationes, deliria, melancholias,

cholias, & furores, tanquam incantamento fascinatis, affectus uteri præternaturales incutiant; quot etiam morbos ægrè curabiles, menstruorum depravatum profluvium, aut Veneris usus diu nimis intermissus valdéq; desideratus inducant. Omnia autem ab exquisito uteri sensu, ejusq; cum cerebro & systemate nervorum commercio dependent. Ut non immeritò *Democritus* dixerit, uterum mulieribus sexcentarum ærumnarum causam existere.

Non sum inscius, dari à Medicinæ proceribus in genere diversos *quinq*; *modos*, quibus una pars alteri solet affectus suos communicare. Quorum *primus* fundatur in immediatâ *continuitate*, præsertim fibrarum & tunicarum partium numero distinctarum. Neutiquam enim dubitandum est, quin corpora communi vinculo continuata, partes, quibus junguntur, suis sive bonis, sive malis facilè impertiant. Quid enim prohibet? Alteratio in continuum impressa, nullâ superficie ultimâ terminatur; tantùm quò longiùs ab origine procedit, eò magis sensim minuitur: sed nunquam ferè in totum extinguitur, donec ad continui extrema pervenerit. Multò maximè hoc manifestum est in fibrosâ & membranosâ continuitate, qualem in utero, & membranis, ligamentisque, quibus connectitur, cernimus. Quippe sicut in fidibus, ita pariter in membranis

branis tensis, motus ab uno extremo ad alterum facillimè decurrit. Minimè itaq; mirandum, si tantus uterum inter & cæteras partes in hypogastrio, inguinibus, & ad inferiorem spinam positas, interveniat consensus, quantum in passionibus hystericis, furore uterino, & incipiente catameniorum fluxu, &c. observamus.

Secundus sympathiæ modus consistit in *nervorum à communi stipite derivatione.* Cùm igitur nervi, qui fundum uteri perreptant, à pari intercostali emergant; qui autem in mediam infimamque partem sparguntur, ramulis ab osse Sacro elongatis suam debeant originem: cúmq; iidem nervi alios quamplurimos elargiantur surculos quoq; partibus utero circum vicinis: quid mirum, si hi cum illis malè affectis, & ad sui contractionem irritatis, compatiantur? Omnes enim nervorum surculi, ab eodem ramo enati, retis extensi ad-instar se habent, & araneæ telam imitantur: ut, si vis aliqua vel uni nervulo impressa fuerit, reliqui omnes motu suo eandem simul agnoscant, ob connexionem.

Tertius compatiendi modus in *sanguinis à corde per arterias influxu* radicatur. Qui influxus, si vel intercipiatur, vel quoquo modo vitietur; necesse est, ut uterus, tum ipse noxam capiat, tum socias partes in detrimenti consortionem trahat. Hinc usu venit, ut mulieres febre, præsertim malignâ, laborantes,

tes, eodem tempore vel affectibus hyſtericis, vel inordinato menſtruorum fluxu porrò affligantur: nimirum quia in febribus arteriæ ſanguinem efferveſcentem in uteri ſubſtantiam ingerentes, efficiunt, ut ejus fibræ, leviſſimâ quáq; de cauſâ irritabiles, ſeſe, ut hoſtem excutiant, validè contrahendo, motus enormes in finitimis partibus concitent, ſanguinemq; ſimul extrudant.

Quartus ab ineptâ ſanguinis ex utero per venas *reductione* dependet. Venæ namque, quarum officium eſt, ſanguinem undecunque corporis ad cor reducere; ſi perfunctoriè illo ſuo fungantur munere, redundantiam in partibus, à quibus abducere debebant, relinquunt; eoq; nómine inflammationibus, obſtructionibus, tumoribus, ſexcentiſque aliis morbis rudimenta ponere ſolent. Quod nullibi aut magis ſolenne, aut magis conſpicuum eſt, quàm in cachecticarum utero; ut hujus conſpirationis ratio ulteriori explicatione non indigeat.

Quintus deniq; à *Vicinitate*, & in primis à *contactu* partium exoritur. Huic profectò ſympathiam inducendi poteſtas neutiquam deneganda eſt: id enim quotidiana commonſtrant experimenta, & ipſa rei natura manifeſtum facit. Adeſt agens, adeſt ſimul quod ab ipſo patiatur, adeſt per viciniam virtutis applicatio; nec amplius quidquam requiritur, ut producatur effectus. Intemperies,

peries, tum cum materiâ, tum ſine materiâ, & corruptela, quæcunq; parti alicui acciderit, in contiguas confeſtim partes irrepit, *Uvaq; contactâ livorem ducit ab uvâ.* Nil opus eſt igitur, his utero prolixè accommodandis immoremur. Omnia quippe perſpicua facta ſunt, ex quo ab immortali *Harvæo* detectum eſt, ſanguinem circuitu perpetuo è corde in reliquas omnes corporis partes fluere, hincq; ad ſuam originem remeare. Unde patet, quàm rectè dixerit *Hippocrates* (*lib. de Alimento*) *Conſentientia omnia. Juxta totius quidem corporis compagem, omnia; juxta partem verò, partes in unaquaq; parte* πρὸς τὸ ἔργον, *ad opus.*

Quoniam verò in parte aliquâ excitata ſive moleſtior, ſive jucundior ſenſatio, eatenus alterius partis conſenſum invehit, quatenus in cerebro, communi omnium nervorum origine, ſpecialem excitat motionem: ſi hæc eadem cerebri motio quavis aliâ de cauſâ contigerit, nullo proprio vitio ambæ illæ partes compatientur; tuncq; non ſibi, ſed cerebro compati dicentur. Tales autem in cerebro motus excitant pravi halitus, fortis imaginatio, animi pathemata vehementiora: quibus omnibus humorum motus perturbatur, recrementa ſiſtuntur, transferuntur, refluunt, &c. Cujus rei eximium habemus exemplum in mulieribus, quibus nihil ferè ſolennius eſt, quàm per vehementiores animi paſſiones, intem-

tempestivum sanguinis ex utero profluvium sibimet ipsis concitare. Ex jam dictis itaque apparet, tum eam partium sympathiam, quæ vel à nervorum communione, vel à continuitate membranarum exoritur, & frequentiorem, & fortiorem esse reliquis omnibus, quas hic in transitu recensuimus: tum eandem in uterinis affectibus inducendis haud rarò primatum obtinere. Ut nobis nil opus sit, ad sanguinis in utero fermentationem recurrere, quò symptomatum menstruatis plerunq; incidentium rationes explicemus. Quod erat probandum.

CAPUT

CAPUT VII.

Autoris *ſententia de causâ menſtrui fluxûs* efficiente, *ſive concitante.*

REjectâ ſanguinis in utero fermentatione, æquum eſt, aliam aliquam inveſtigemus cauſam, quæ in illius locum ſuffecta, & majore veriſimilitudine difficultatem propoſitam ſolvat, nec diſconveniat œconomiæ animalis harmoniæ. Hocq; mihi eò magis tentandum eſt, ne totus ad convellenda ſolùm aliorum dogmata compoſitus videar. Viſum eſt igitur mihi, menſtruorum circuitûs rationem potiùs novam, & à me non ita pridem excogitatam, quàm nullam proponere; doctioribus ſine præjudicio perpendendam, & iis, qui petulante ſplene ſunt, fortaſſis deridendam. *Ariſtoteles* (*Metaphyſ. l.* 1. *c.* 2.) ait, *Philoſophos fabularum quodammodo amatores eſſe, eò quòd fabula ex mirandis conſtet.* Enimverò homines primùm rerum admiratione ducti, philoſophiam coluerunt. Et ſapientiſſimis etiam mortalium hic mos communis eſt; cùm rem ipſam, ut ſe habeat, clarè percipere nequeunt; fingunt ſaltèm modum ejus aliquem Naturæ operibus conſonum, & veritati proximum. Horum itaque exemplo ipſemet animatus, conjecturam me-

am de re hîc quæſitâ in medium proferre non verebor.

Ut rem ergò paulò altiùs deducam; plantas haud immeritò ζῶα dici, & in animalium, imperfectiorum ſaltem, cenſum referendas eſſe; ego quidem cum antiquis Naturæ conſultis, *Platone* nimirum (*in Timæo*) *Ariſtotele* (*de Gen. animal. l.* 2. *c.* 1.) & *Galeno* (*in fragment. de iis, quæ medicè dicta ſunt à* Platone *in* Timæo) certâ fide amplector. Nec dubito, quin plantas inter & animalia, etiam perfectiora, inſignis interſit analogia; ſive principia ſeminalia & generandi modos, ſive vegetandi rationes, in utroq; genere conferamus. Hinc effatum illud *Theophraſti* (*Hiſt. plant. l.* 1. *c.* 1.) ὅσα περὶ ἐν φυτοῖς, ἀφομοιωτέον τοῖς περὶ ἐν ζώοις, ὡς ἄν τις δύνηται καλὰ τὰ εἰρημένα λόγον ἀφομοιῶν, δεῖ: *omnium quæ in plantarum genere ſpectantur, ſimilitudo petenda eſt ex iis, quæ in animalibus inſunt, quoad id fieri poſſit.* Quæ verba incomparabilis *Entius* potiore jure ſic invertenda cenſet: ὅσα περὶ ἐν ζώοις, ἀφομοιωτέον τοῖς περὶ ἐν τοῖς φυτοῖς. Siquidem plantæ, & ortu priores, & ſtructuræ ſimplicioris, adeoq; cognitu faciliores ſunt, quàm animalia perfectiora. Quare ut faciliùs intelligamus, quæ ſit mulieribus catameniorum neceſſitas, undeq; eorum fluxus periodicè concitetur; diſquiſitionem noſtram auſpicari debemus à ſimilitudine, quæ fœminarum utero cum terrâ, plantarum matrice,

matrice, intercedit. Eſt enim & terra *uterus* quidam, à ſummo rerum Conditore ad vegetabilium ſemina, ſeu injecta, ſeu inſita fuerint, cùm excipienda, tum fovenda, & nutrienda deſtinatus. Et viciſſim uterus magnis quibuſdam Philoſophis *ager* dictus eſt, ab eodem Conditore ſerendis animalibus comparatus. Ac fuere, qui eundem φύσιν appellarent, ἀπὸ τῦ φύεσθαι; quoniam, ſi benè colatur, ſtatiſq; temporibus ſementem accipiat, aliquid ex ſeſe perpetuò fundit. Sicut hic, ita & illa, commiſſa ſibi ſemina blando fovet calore, quo conſopitam vim genitalem germinis exſuſcitat, ipſiq; ſuccum alibilem ad augmentum ſuppeditat.

Non omnis tamen terra æquè fœcunda eſt, nec quæ fœcunda exiſtit, omni tempore ſuam exerere poteſt virtutem. Debet enim in ejus gremium injecti germinis internum motûs principium, ſive plantam ſui ſimilem procreandi facultas, ab externo quidem, ſed mitiſſimo calore ſuſcitari. Debet etiam idoneus humor accedere, quo alba ſeminis ſubſtantia diluatur, & in ſuccum lacteum, germini nutriendo idoneum tranſmutetur.

Ad terræ itaque fœcunditatem requiritur primò blandus *Calor*. Nam plantæ omnes, interno lare deſtitutæ, à *Macrocoſmi* ſolis benignâ irradiatione vigorem, vitámq; adeò ſuam præcipuè mutuantur: dum animalibus cæteris, præſertim perfectioribus, cordis, ſeu

potius ſanguinis calor innaſcitur, unde, tanquam à *Microcoſmi* ſole, partes omnes jugiter refocillantur. Solis autem irradiationi accedit etiam moderatus calor ab ignibus ſubterraneis, ſive Pyrophylaciis; à calidis mineralium in terræ viſceribus æſtuantium, ac inter ſe (dum adhuc in ſolutis principiis, & in *fieri* exiſtunt) impetuoſè colluctantium, exhalationibus; à ſulphuris, bituminis, naphthæ, nitri, aliorumq; id genus ſalium effluviis; & à vaporibus, ob ambientis aeris conſtipans frigus, in globi hujus terraquei cortice retentis, oriundus: à quo, pariter incaleſcente terræ ſuperficie, cæci ejus meatus laxantur, poriq; demum ita recluduntur; ut iis humorem excipere, attenuare, repetitis percolationibus diverſimodè alterare, & in ſemen, veluti per filtrum, deducere poſſit. Quod verno præſertim tempore contingit: unde Poetarum princeps veriſſimè,

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus, &c.

Veruntamen ſolus calor, quocunq; gradu, &

& undecunq; proveniens, ad fœcundandam terram non ſufficit. Requiritur itaq; ſecundò in ejus gremio, humoris illuc appulſi levior quædam efferveſcentia, à variorum ſalium (quos ipſâ hâc de cauſâ *vegetabiles* appellant Chymici) inter ſe commiſtorum luctâ, inteſtinoq; veluti certamine oriunda. In his autem ſalibus *Nitrum* optimo jure ſibi principatum vendicat; utpote quod nobiliſſimum in ſe continet vegetandi principium, plantiſq; omnibus ſecundariæ animæ loco inſervire perhibetur; imò quod & animalibus etiam perfectioribus, ſpirituum vitalium ſuppeditat materiam, quæ particularum ſuarum ſummâ ſubtilitate, mobilitate, ac elaſticâ virtute, vitalem ſanguinis *Micationem* perpetuò excitat, renovatque. Eſt ergò, cur credamus hunc ſalem, præ cæteris omnibus, à Naturâ comparatum eſſe, non ſolùm ad terræ moleculas multifariam exagitandas, ſeparandas, attenuandas, cæcoſq; meatus aperiendos, ut terra demum ſpongioſa & friabilis evadat: verùm etiam ad plantarum alimentum particulis elaſticis imprægnandum, ut inde feliciùs vegetentur, increſcant, & vigorem adipiſcantur. Hinc agricolæ, longo rerum uſu edocti, animalium ſtercora putreſcentia, in quibus magna vis nitri, ſalis ammoniaci, aliorumque id genus ſalium, deliteſcere ſolet, paſſim ſpargunt in agros, quibus mox frumenti ſemina ſunt committenda. Cujus ſtercorationis

corationis cauſam probè intelligens *Virgilius*, rei ruſticæ ſtudioſis ita conſulit (*Georgic. l.* 1.)

——————— *arida tantùm*
Ne ſaturare ſimo pingui pudeat ſola, néve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros:

mox hæc ſubjiciens;

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro priùs, & nigrâ perfundere amurcâ,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.

Tertiò requiritur *humor*, qui ſalibus diſſolutis, & inter ſe, tanquam de primatu, certantibus, vehiculi vices præſtet, eóſq; ad ſemina deducat, ut in exiliſſimas horum cavitates, nutricatûs gratiâ, penetrent. Huic uſui optimè inſervit aqua *pluvialis*, & nebulæ tempeſtivos in imbres reſolutæ. Talis enim aqua, & levior atq; tenuior eſt, & de cœlo effuſa, nitri per atmoſphæram paſſim vagantis nonnihil ſecum defert; adeóq; aptior exiſtit ad promovendum illum calorem, qui in terræ gremio à ſalium dictorum colluctatione exurgit.

Nam

Nam plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà ſuccus in herbas.

Vidimus jam ad terræ fœcunditatem requiſita. Reſtat, ut an eadem, vel ſimilia ſaltem, ad animalium quoq; *uterum* pariter fœcundandum requirantur, videamus. Ita quippe clariùs tandem apparebit *analogia*, quam huic cum illâ intercedere diximus.

Quicquid animalium in ampliſſimo hoc mundi theatro conſpicitur, *ex ovo* primitùs oriri, hodiè Philoſophi omnes agnoſcunt, tam ſuis, quàm *Harvæi* obſervationibus edocti. Non eſt igitur à prima illorum origine, ſed à diverſis *pariendi* modis, quibus inter ſe diſcrepant, quòd *ovipara*, *vivipara*, *vermipara* dicantur : quoniam vel ovum, vel vivum animal, vel vermem pariunt. Quippe, præter *ſponte naſcentia*, alia etiam animalia ovum, aut vermem, tanquam conceptum ſuum & ſemen, pariunt, ex quo poſtea foràs expoſito, fœtum producunt ; unde *ovipara*, aut *vermipara* appellantur. *Vivipara* autem dicuntur, quæ conceptum ſive ſemen tamdiu intra ſe retinent & fovent, donec fœtus inde vivus & formatus in lucem prodeat. *Vermipara*, ut exigua nimis, & quoad genitalia, quibus eorum fœ-

mellæ donantur, fabricam, coeundiq; rationes, nobis minùs cognita, ab inquiſitionis hujus ſcenâ excludimus: de reliquis, ut obſervationi magis obviis, paucula dicturi; ducturiq; initium ab *oviparis*.

In *ovipararum* animantium utero interdum, imò ſtatis quibuſdam temporibus, & accendi, & aliquandiu durare *fervorem* quendam, conceptioni prævium, & quo ad celebranda Veneris ſacra, dulcéq; generandi munus præſtandum incitantur; extra omnem dubitandi aleam poſitum eſt. Hinc enim fit, ut gallinæ domeſticæ, (ac indubiè fœmellis in omni avium genere idem contingit) quo tempore ſunt cupidinis œſtro percitæ, quodammodo inſaniant, ferociant, huc illuc palantes oberrent, plumas (ut ſpicula ſua hyſtrix) erigant, mœſtæque, & irrequietæ langueſcant: & niſi galli conſortio fruantur, ova quidem pariant, ſed *hypenemia*, & infœcunda; nec multo poſt ægrotent, intereantque. Quod olim ab *Ariſtotele* animadverſum, qui (*de Gener. anim. l.* 3.) ait, *Aves morbo laborare, & interire, niſi pariant*: & *Harvæus* in dilecto ſuo pſittaco expertum ſe (*de Gen. anim. Exercit.* 4.) memoriæ prodidit. Idemq; teſtatum reliquit, uſque adeo libidinoſas interdum aves eſſe, ut ſi dorſum earum manu ſolùm leviter tangas, ſtatim procumbant, orificiumque uterinum denudent, & exporrigant: quod ſi blandè digito demulſeris,

ris, vago murmure, alarumq; geſticulatione, gratam Veneris dulcedinem exprimunt. Hoc uteri aut ovarii fervore, eædem gallinæ, cæteræq; fœminæ ex genere volatilium ad incubatum quoq; urgentur; quo tempore eis totius corporis calor ita intenditur, ut uberiore factâ calidiorum halituum expiratione, faciliùs ovorum, quæ fovent, ſopitos ſpiritus, & vim formatricem exſuſcitent. Ab eodem deniq; fervore uſu venit, ut quæ antea timidæ, manſuetæ, ac fugaces fuerant, jam audaciores, ferociores, & robuſtiores evadant. Iſti autem omnes effectus inſignem teſtantur, cùm ſucci nutritii, tum ſeminalis materiæ, ac ſanguinis in utero & ovario effervescentiam. Quæ fit evidentior ex eo, quòd effectus illi accelerentur, ſi gallinis ea exhibeantur, quæ vim habent calorem ſanguinis & reliquorum humorum augendi: contrà verò retardentur, aut omninò impediantur iis, quæ ſanguinis, ſeminaliſq; materiæ, i. e. ſucci nutritii, æſtum extinguere apta nata ſunt; maximè autem frequente gallinæ in aquam frigidam immerſione. Nec dubitari poteſt, quin hic fervor, cùm ſit fœminarum proprius, (ut rectè animadvertit doctiſſ. *Franc. Bayle, in Diſſert. medic.*) ab ea parte oriatur, quæ fœminis propria eſt.

Fœminarum *viviparārum*, aliæ uno ſolùm ſtatóq; anni tempore mares admittunt; ut equæ

equæ, vaccæ, cervæ, damæ, aſinæ, &c. aliæ bis terve in anno coeunt, pariuntque; ut ſues, canes, feles, &c. aliæ frequentiùs adhuc copulantur, partuſq; edunt; ut lepores, cuniculi, mures, &c. aliæ ſemel tantùm biennio coeundi deſiderio ferociunt; ut elephantes, annotante *Solino* ex *Plinio*. His verò omnibus in utero, coitûs tempore, ingens emicat ardor: quo ſtimulante, furibundæ huc illuc curſitant, caudas jactant, ſæpe micturiunt, ardentia pruritu pudenda arboribus affricant, mareſq; ubiq; quærunt, & querulâ voce advocant, ut flammam ſuam alieno igne reſtinguant. Quæ omnia certiſſima ſunt æſtuantium in utero humorum indicia.

In hunc viviparārum cenſum veniunt etiam *mulieres*, quibus, fœcunditatis tempore, (quemadmodum enim plantis, atq; oviparis animantibus; ita & viviparis ſuum ver, & autumnitas data eſt) conſimilis *fervor uterinus* interdum contingit. Quo fit, ut ex his quoq; quædam, præ uteri ardore, vehementiq; deſiderio conſuescendi cum viris, propemodum inſaniant, plurimúmq; tandem à conſuetis moribus, ac innato pudore recedant: & in nonnullis uſq; adeo ſævit hoc malum, ut vel veneficio afflatæ, vel ſideratæ, aut à cacodæmone obſeſſæ judicentur. Quoniam verò homini ſoli tempus Veneri litandi enorme eſt, idcircò Natura inſtituiſſe videtur, ut mulieribus fervor iſte uteri

frequentiùs

frequentiùs quàm reliquis viviparis obtingeret, menſtruoq; ferè circuitu recurreret: utque eundem inſignis profuſio ſanguinis, cum ſucci nutritii reliquiis, aut comitaretur, aut intra dieculæ unius vel alterius ſpatium conſequeretur; quò uterus ab omni immunditie repurgatus, excipiendis virilis genituræ ſpiritibus aptior reddatur. Menſtruum iſtuc profluvium plerunq; cum ardore quodam uteri contingere, vel ex eo apparet; quòd imminente jam fluxu, æſtus haud obſcurus circa uterum percipiatur: ut nil opus ſit, cur cætera ejus antecedanea ſigna, horumq; cauſas inutiliter, hîc repetamus. Et quod ad ejuſdem æſtûs *neceſſitatem* & *uſum* attinet; utrumq; facillimè inferri poteſt ex iis, quæ de caloris in terræ gremio, à variorum ſalium, aquâ pluviali commiſtorum, efferveſcentiâ, exorti, ad ipſam fœcundandam, neceſſitate modò diximus.

Menſtruo nimirum iſto æſtu dum uterus intumeſcit, omnia ejus vaſa ſanguifera, pori omnes, omneſq; tubuli membranei ita laxantur, diſtenduntur, recluduntur; ut iſtæ partes omnes ac ſingulæ, non ſolùm contra immoderatam diſtentionem inſurgentes, ſeſe motu *reſtitutivo*, ſeu elaſtico contrahant ſive conſtringant; verùm etiam ſimul, eodemq; motu (qui & *protruſivus* eſt neceſſariò) exprimant quicquid vel ſanguinis, vel ſeroſæ ac

pravæ

pravæ succi alimentaris materiæ in ipsis eo tempore continetur. Et tota colluvies ita in uteri cavum expressa, inde sponte, i. e. pondere suo delabitur, sensimq; serosioris formâ sanguinis extillat. Hocq; modo, meâ quidem sententiâ, tota menstrui fluxûs scena, sublato tandem sipario, propalàm ostenditur.

Nondum tamen omnes officii mei partes explevi. *Tria* nempe mihi adhuc inquirenda restant: *Unde menstruus ille ardor*, quem proposui, *mulierum utero exoriatur*; *Quare menstruo ferè circuitu recurrat*; & deniq; *Cur mulierum sit, & simiarum proprius fluxus menstrualis.* De his igitur viritim perquiremus.

Primam itaque difficultatem ut enodemus; dicimus, succum verè nutritium, per quos dehum cunq; meandros ex ore, ventriculoq; ad cerebrum deferatur, non adeo illimem ac limpidum illuc appellere, ut nullas salium vegetabilium, in alimentis primùm, & deinde in chylo ex iis confecto delitescentium, particulas secum, à carceribus usq; ad metam, convehat: sed multis salinis, sulphureis, nitro-aereis, aliisq; id genus elasticis particulis imprægnari; idq; fortassis, ut eò magis partium nutritioni, quæ ὁμοιοειδῶς perficitur, idoneus tandem evadat. Est enim tenuior ac fluidior chyli portio, atq; ob viarum angustias, eundo fit usq; tenuior & spirituosior,

rituoſior, donec tandem, vaporis ſpecie, nutriat. Hujus proinde portio ea, quæ in uterum diſpenſatur, quin ejuſdem ſit naturæ ſeu indolis cum reliquarum partium dimenſis, nullus dubito. At verò, cùm fœtus, à conceptione uſq; ad partum, ſolo lacte uterino, quod ex alimentari ſucco illuc delato conflatur, nutriatur; cùmq; almæ matris Naturæ providentiæ conveniat, ut etiam necdum concepto fœtui alimoniam proſpiciat: propterea equidem ipſam exiſtimo inſtituiſſe, ut non ſolùm in gravidis mulieribus, ſed etiam in non prægnantibus, intra fœcunditatis terminos conſtitutis, uberior ſucci alibilis copia ad uterum diſtribueretur, quàm quæ ei ſoli nutriendo ſufficeret; ut fœtus, quandocunq; conceptus, unde viveret, in promptu haberet. Porrò exiſtimo, in non prægnantibus, illam ſucci altilis redundantiam, in uteri ſubſtantiâ, tubuliſq; membraneis indies congeri, donec iſta conceptacula ampliorem reſpuant affluxum; quod intra menſis unius curriculum contingere aſſolet. His autem ſuppoſitis, rationi conſentaneum videtur, tam diu ſtagnantem in uteri loculis ſuccum nutritium, à priſtinâ ſuâ benignitate ac dulcedine haud parùm degenerare, acorem induere, ſenſimq; æſtuare, ac tandem in ſenſibilem erumpere efferveſcentiam: quæ non ſolùm per uterum ipſum, ſed & per membranas ei undiq; continuas, atq;

nervorum

nervorum his & illi communium ramulos diffuſa, tum exagitando ſanguini partes illas permeanti, tum ſuprà memoratis ſymptomatibus ſimul inducendis ſufficiat. *Primò* enim, ſuccos alimentares, cujuſcunq; demum generis fuerint, ſuâ naturâ eſſe ad contrahendam ſibimetipſis *aciditatem* à diutinâ, ſeu intra ſeu extra corpus animalis, ſtagnatione proclives, nemo neſcit. *Deinde*, ſal ſivè ſpiritus *Nitro-aereus* (ut reliquos ſales omittam) qui in ſucco nutritio hoſpitatur, vel per ſe ſufficiens videtur, ad excitandam in eo æſtuationem & efferveſcentiam; maximè ubi arctè incarceratus, pro volatilitate ſuâ, effugium quærit. Qui enim ſuâ ſolùm elaſticitate valet ſanguinis vitalem micationem in corde concitare; idem indubiè, eadem elaſticitate, tumultus, commotiones, et æſtum in ſtagnante ac aceſcente ſucco alibili ciere valebit. Eſt tamen à fide non prorſus alienum, aliorum ſalium, qui fortaſſis tam in ſanguine, quàm in ſucco nutritio jam degenere diverſantur, moleculas, ſuas quoque ſymbolas conferre, ad ardorem hunc in utero accendendum; mutuo ſcilicet ſuo conflictu utrumq; humorem exagitando: quemadmodum alias etiam interdum contingit, maximè vero iis, qui inveterato Scorbuto, ex acido-ſalinis humoribus oriundo, laborant. Ut ut ſe hæc res habeat, mihi quidem veriſimile videtur, *Spiritum nitro-aereum*

reum in hoc opere choragum eſſe. Habemus itaq; jam tandem veriſimilem ſaltem, ſi non veram menſtrui ardoris in utero muliebri originem.

Secundæ quæſtionis ſolutio ab explicatione prioris ultrò exoritur. Conceptu nimirum haud difficile videtur, intra menſis circiter unius circuitum, uteri tubulos membraneos, à ſtagnantibus, & inteſtino tandem orgaſmo æſtuantibus ſucci nutritii reliquiis, ita ad diſtentionem uſq; repleri; ut ad eas quamprimum eliminandas, motu ſuo *protruſivo* (qui omnibus partibus communis eſt, ut ſibi moleſtos humores propellendo expellant) inſurgere cogantur. Quod dum moliuntur, neceſſum eſt, ut ſanguis ſimul, utpote ab eodem æſtu pariter exagitatus,& effervescens, uteri arteriolas conſueto magis diſtendendo aperiat, in uteri cavitatem erumpat, rivuliſque ſuis ſucci nutritii eluviem abluat : quemadmodum aqua terræ affuſa, quicquid nitri, aliorumque ſalium inibi continetur, mox eluit, ſecumque abducit. Finito tandem profluvio, uteróque in priſtinum ſtatum reſtituto; eadem ſucci alimentaris denuò congeritur colluvies, quæ ſimiliter in dictis uteri loculis ſtagnans, eodem quo priùs modo, & (niſi quid interveniat impedimenti) æquali temporis ſpatio, orgaſmum concipiens, novam in utero concitat efferveſcentiam, non niſi novo ſanguinis

nis effluxu compescendam. Hæcq; quantum animi mei conjecturâ colligere possum & hariolari, catameniorum circvitûs causa est. Quam si quis, ingenii & mentis acie perspicacior, neutiquam amplectendam censuerit; æquum erit, ut is vel aliam aliquam rationi magis consentaneam suo Marte excogitet, atq; in medium proferat; vel cùm Medicorum vulgo, in hac persuasione acquiescat; nempe *statos esse Naturæ motus, & certas illius leges, nobis incognitas; quas ipsa inviolatas servat*; atq; huc *Virgilianum* illud transferat.

Continuò has leges, æternáq; fœdera certis
Imposuit natura locis, &c.

Quod ad me attinet; adeo sum inscitiæ meæ conscius, ut hac de re nihil δογματικῶς statuere audeam. In hujusmodi enim Naturæ arcanis caligant nobis oculi, & parum absunt à cæcitate. In cœlo veritas posita est, ad quam nos homunculi curiosè adspirantes, aliud nil possumus, nisi φλυαρεῖν, nugas agere, & (ut *Luciani* metaphorâ utar) πτερυγίζειν, alas frustrà commovere & perstrepere. "Desunt quippe (inquit politissimus "dicendi artifex, *Entius* noster) menti nostræ, "ad tam arduum volatum, valida satis ala-"rum remigia.

Tertiæ

Tertiæ deniq; difficultati πάθους explicandæ sufficere videtur insigne illud mechanicæ conformationis *discrimen*, quod inter mulieris uterum, & reliquarum fœminarum, viva pariter animalia parientium, uteros ab Anatomicis observatum est. Certè omnia animantium genera, ut exteriore corporis formâ, ita & interiore matricis fabricâ nonnihil inter se discrepant: nec ullam invenire est fœminarum speciem, cujus in utero aliquid peculiare non reperiatur. Varias autem uteri structuras, in variis viviparorum speciebus observatas, ut sigillatim hîc describam; nec opus est quidem, nec præsenti meo convenit instituto. Hanc ergo rem ut paucis concludam, siquidem admirandus ille *tubulorum membraneorum* apparatus, quem suprà descripsi, muliebris uteri proprius est; undenam, nisi ab ipsâ hac proprietate, deducere liceat causam, cur catamenia etiam sint mulieribus propria? Deesse nimirum videntur cæteris omnibus fœminis (exceptis duntaxat simiis) similia vasa excretoria, quibus similiter menstruatim purgentur. Atq; ad *simias* quod attinet; nonnullas istius quidem generis vidi fœminas, quæ sanguinis nonnihil, mucoso humore commistum, ex utero singulis mensibus, per triduum aut quatriduum, effunderent: nullius tamen uterum hactenus dissecui. At doctiss. fidéq; dignus *Franc. Bayle* (*Dissertat. Medic.* 1.) disertim: affirmat, in

muliere & ſimiâ uteri ſtructuram, quoad *tubulos* illos, aliaq; nonnulla, conſimilem eſſe. In utráq; igitur, tubulos uterinos, ab æſtu toties memorato, ita menſtruo circuitu diſtendi, irritari, & aperiri exiſtimo; ut effervescentes inde humores, quemadmodum ſuprà dictum eſt, neceſſariò foràs extrudantur. Hinc indubiè fit, ut in gravidis nonnullis inſtante pariendi tempore extinctis atq; diſſectis, tubulorum oſcula, in uteri cavitatem hiantia, uſque adeo dilatata deprehenſa fuerint, ut parvi digiti magnitudinem æquarent; utque accuratiſſimis etiam Anatomicis, vaſorum ſanguiferorum ſpecie, imponerent. Hinc quoque contingit, ut mulierum gravidarum uterus, non modò ampliorem cavitatem acquirat, ad continendum fœtum; ſed etiam indies *craſſior* evadat & robuſtior: dum reliquis viviparis contrarium uſu venit. His etenim, quibus deſunt hujuſmodi tubuli, graviditatis tempore, uterus, mutatâ in lâtitudinem craſſitie, membranam æmulatur.

Poſtremò, hinc deduci poteſt ratio, cur *gravidæ catameniis plerumque deſtituantur*. Cùm enim, ex provido Naturæ inſtituto, magna ſucci alimentaris copia in uterum diſpenſetur, in eum ſolummodo finem, ut quocunq; tempore concepto fœtui alimentum indè ſuppeditetur; cùm in nondum prægnantibus, ſuccus ille tamdiu in tubulis uterinis ſenſim congeſtus reſtet, donec ſuo æſtu effer-

efferveſcens, ac in orgaſmum erumpens, non ſolum illorum, ſed & arteriolarum in iiſdem terminatarum oſtiola diſtendendo aperiat, unáque cum ſanguine foràs extrudatur; cúmq; in prægnantibus, idem ſuccus neq; unquam ſtagnet, neq; (per conſequentiam) æſtuare ac efferveſcere poſſit; indies enim exhauritur, & in fœtûs nutricatum impenditur: his inquam ſeriò perpenſis, nil mirum videri debet, quòd in gravidis menſtruæ purgationes ceſſare ſoleant. Talibus nimirum deſunt catameniorum & *materialis* cauſa, & *efficiens*: ſucci nempe nutritii *redundantia*, & ejuſdem *efferveſcentia.* Fieri quidem poteſt, nec rarò contingit, ut mulieres in utero gerentes, primis præſertim duobus vel tribus à conceptione menſibus, conſuetas patiantur purgationes. Id verò & ſemper cum permagno ἐκπρώματος diſcrimine conjungitur, & præter Naturæ leges contingit.

Sunt quidem, qui ut plauſibilem inordinati hujus in prægnantibus profluvii αἰτιολογίαν componerent, hunc in modum ratiocinati ſint. *Ideo gravidæ non purgantur, quia cùm in conceptu uterus ſeſe expandit ad virile ſemen excipiendum, iterumq; ſe contrahit; ac ſingularum partium ſitum convenienter diſponit, ut è ſuſcepto ſemine proferat placentam uterinam,* &c. *totus fibrarum ipſius contextus ita immutatur, ut fiat omnino ineptus ad fermenti congeſtionem, aut generationem; nec*

redit ad priſtinum ſtatum uterus, quamdiu mulieres utero gerunt, aut nutriunt integrâ lactis bonitate. Quibus, ob pravam uteri conſtitutionem, per conceptum uteri plicæ, rimæ, aut alveoli, excipiendo fermento deſtinati, non omninò obliterantur; ſtatis periodis levem ſentiunt in utero fervorem & agitationem; quam, ſi fuerit major, ſequitur ſanguinis profuſio, cum periculo abortiendi.

In hâc verò ſententiâ, quot commata, tot ferè ſunt errores. *Primò* enim ſemen maris in fœminæ uterum ſubſtantialiter nunquam ingredi, & accuratiſſimæ *Harvæi* obſervationes, in cervarum & damarum utero tam ipſo coitûs tempore, quàm poſt paulò factæ, luculentiſſimè demonſtrant; & hodie florentes Anatomici unanimi conſenſu conteſtantur. Adeo ridiculum eſt imaginari, uterum ſeſe expandere, ad ſemen virile, quod eò nunquam pertingit, excipiendum. *Secundò*, neq; minùs ἄλογον eſt, univerſam uteri contexturam, mox à conceptu, ità penitùs immutari, ut pori ejus omnes, omnéſq; tubuli, prorſùs obliterentur. Id enim ſi fieret, qui ductus, quæve reſtarent viæ, per qu s ſuccus altilis è matris utero traduceretur ad fœtum nutriendum? Certè ex hiſce duobus alterum planè neceſſarium foret; aut ut à virtute plaſticâ novi ductus excuderentur, transferendo in placentam lacti uterino idonei; aut ut embryo, omni alimoniæ ſubſidio deſtitutus, citò

tò inedia contabeſceret, perirétque. De *priore*, nemo Anatomicorum (niſi ejus rei memoria mihi intercidit) ne ſomniavit quidem unquam: & *poſterius* Naturæ conſilio repugnat. *Tertiò*, commenti hujus Autor, ut rationem redderet phænomeni propoſiti, *Quare* ſcilicet *gravidis interdum menſtrua obtingant*, ad fermenti cujusdam, in uteri plicis & alveolis congeſti & excitati, ſanguinique fermentationem inducentis, inſomnium confugit. Illud autem ignorantiæ dicam, an ignaviæ aſylum? nos in præcedentibus (niſi egregiè hallucinamur) funditùs demoliti ſumus. Relictis itaque hujuſmodi aſſaniis, quæ ad ſimilitudinem veritatis propiùs accedant, quæramus

Quæ in mulieribus non prægnantibus efficere ſolent, ut eis menſtrua vel profuſiùs quàm par eſt profluant, vel intempeſtivè prodeant: eadem indubiè in ἐγκωμένοις etiam eoſdem effectus producere valent. Contingit autem non prægnantibus menſium fluxus, vel nimis copioſus, vel intempeſtivus, ratione vitii alicujus vel in *ſanguine*, vel in *ſucco nutritio*, vel in ipſo *utero*, vel denique in vehementiore aliquo animi *pathemate* conſiſtentis.

Ad hæc enim capita referri poſſunt omnes hujus commatis cauſæ. *Sanguinis* culpâ immoderatè, vel intempeſtivè fluunt menſtrua, quoties is in corpore ſupra modum *redundat*, vel *tenuior* & *aquoſior*, vel *acrior* exiſtit:

quemadmodum olim in *Pathologiâ* nostrâ fusè docuimus. *Succi nutritii* vitio idem contingit, ubi is vel *nimiâ copiâ* in uteri tubulos influit, vel *acriorum* & inter se æstuantium ac effervescentium salium particulis abundat, vel diutinâ in iisdem tubulis stagnatione *acrior* redditus est, vel deniq; in universis & singulis partibus membraneis ac nervosis *fermentescens*, orgasmum concipit; quemadmodum in febribus semper evenit, magis autem conspicuè in *Variolis*; quarum origo, non à sanguine, (ut vulgò creditur) sed à succo nutritio, insigniter & peculiari modo depravato, petenda videtur. Id quod partim ex eo patet, quòd præcipua *symptomata*, quæ variolarum eruptionem præcedunt & comitantur, ad *cerebrum*, *genúsq*; *nervosum* propriè spectant; partim hinc colligi potest, quòd materia per crisin in cutim expulsa, *pepasmum* admittit, ac tandem in *pus* convertitur: sanguis autem *suppurationis* prorsùs incapax est. Adhæc, mulieres, instante variolarum crisi, mensium fluxum inordinatè pati solere, notissimum est: id autem præcipuè succo nutritio, eo tempore in tubulis uterinis vehementer fermentescenti, sanguinemq; in contiguis arteriolis (quemadmodum suprà explicatum) exagitanti, attribuendum esse arbitror. De his verò, quæ hîc ὡς ἐν παρόδῳ tantùm innuo, aliàs fortassis in peculiari de Variolis disceptatione dicam. Interim eò, unde

unde digreſsi ſumus, revertamur. *Uteri* vitio nimium vel ἀκαίρως profluunt menſes, quoties ipſius ſubſtantia juſto laxior eſt, aut eo ſaltem tempore ſupra modum laxatur, unà cum ſuis vaſis cavernoſis. Quod vitium facilè inducunt rerum aquearum longior uſus, potus nimirum aquæ ac cereviſiæ tenuioris, ingurgitatio fructuum horariorum, perſicorum, melonum, peponum, pomorum, *&c.* item aquæ dulcis balnea, clyſteres, fotúſq; emollientes. Hæc enim omnia, quà ſuccum nutritium & ſanguinem aquoſiores, quàm par eſt, generando; quà uteri cùm fibrarum, tum vaſorum, in-primis verò tubulorum contextum, ac εὐλονίαν relaxando, immoderato vel inopportuno menſtruorum fluxui inducendo ſufficiunt. Idem pariter efficere poſſunt vehementiora *animi pathemata*, præſertim *ira*; non ſolum ſanguinem, ſed etiam ſuccum alimentarem, alióſq; omnes humores impetuosè commovendo & exagitando: quemadmodum dudum jam à me oſtenſum eſt *Exercitat. Pathologic. p.* 111. Jam verò, ut huic paragrapho coronidem imponamus, ſiquidem experientiâ conſtat, dictarum cauſarum ſingulas, vel plures ſimul conſpirantes, in non imprægnatis mulieribus, menſtruum fluxum, ſeu immoderatum, ſeu intempeſtivum, producere poſſe: quin eædem eundem effectum quoq; in prægnantibus producere poſſint, neutiquam dubitandum. Hactenus

itaq; inconcuſſa manet ſucci nutritii, in tubulis uterinis congeſti, ſtatiſq; temporibus efferveſcentiâ ſuâ menſtruas concitantis evacuationes, *hypotheſis*, quam ſtabilire molior.

Hîc tamen *objectum* iri prævideo, *abortiendi periculum prægnantibus, præſertim plethoricis, impendens, haud rarò venæſectione vitari: quod tamen non contingeret, niſi menſtruus fluxus ad ſanguinis redundantiam potiùs, quàm ad ſuccum nutritium, quomodocunq; peccantem, ſpectaret.*

Reſpondeo igitur, felicem hunc venæſectionis eventum hypotheſi noſtræ nequaquam refragari. *Primò* enim admitto, ſanguinem etiam quadantenus ad efficiendum catameniorum fluxum concurrere; colluviemq; eo tempore excretam, ex multo ſanguine, cum paucis ſucci nutritii reliquiis commiſto, conſtare; alioquin enim tubuli uterini non mundificarentur. Admitto præterea, tam immoderatam, quàm intempeſtivam menſtruorum fluxionem poſſe à ſanguinis vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccantis vitio proficiſci. Ex his itaq; conceſſis patet, ex noſtrâ etiam ſententiâ, interdum ſummè proficuum, imò neceſſarium eſſe, venam in prægnantibus aperire, ad evitandum abortûs diſcrimen. *Secundò*, dari nonnunquam in utroq; ſexu tam ſucci alibilis, quàm ſanguinis plethoram, nullus dubito.

Id

Id enim vel ex carnosiore ac obesiore corporis habitu, quem nonnullis in hominibus admiramur, colligi potest. Quippe ista tam gigantea musculorum carnositas, tam onerosa reliquarum obesitas partium, undenam, nisi ab auctâ omnem supra modum in talibus nutritione, proveniat? Ac unde sic augetur nutritio, nisi à bono quidem & laudabili, sed luxuriante succo alimentari? Hujusmodi autem plethora incidere potest etiam in prægnantes, easq; in ἐκτρώματος discrimen conjicere: à quo nullis citiùs vindicantur præsidiis, quàm parco victu, & sanguinis missione. Quomodò per tenuem diætam imminuatur tum sanguinis, tum succi nutritii pleonasmus, omnibus quidem liquet. Quâ verò ratione sanguinis apertâ venâ detractio, ad minuendam succi quoq; nutritii luxuriem conducat, haud æquè compertum est iis, qui, præter sanguinem ipsum, succum altilem in animalis corpore agnoscunt nullum. Rem itaq; paucis enucleare conabor.

Sedet hæc animo sententia nostro, chyli duplicem esse fluxionem; *alteram* scilicet partibus *succo nutritio* instaurandis; reficiendis spiritibus, & consequenter corpori calefaciendo & refocillando, *alteram*, sub specie *sanguinis*: harumq; alterâ præpollente, alteram proportionaliter imminui. Hoc autem supposito, rationi consentaneum videtur, venæ-sectionem gravidis, ad præcavendam abor-

abortionem, ideo utilem eſſe, quòd per eam converſo chyli fluvio, qui antè nimis copioſus ad partes nutriendas affluebat; major ejuſdem portio jam ad cor derivatur, ut ſanguinis jactura reſarciatur: & quantò plùs chyloſi liquoris in ſanguinis torrentem influit, tantò minùs reſtat inſtaurandis partibus impendendum: & vice versâ. Quoties ergò prægnanti mulieri abortûs diſcrimen impendet à ſucci nutritii ad uterum affluentis redundantiâ (ut proculdubiò ſæpè fit) & illa per phlebotomiam periculo eximitur; id emolumenti attribuendum arbitror, ſucci nutritii, ad uterum alioquin copioſiùs affluxuri, rivulo in ſanguinem converſo; ut quod per venæ-ſectionem ſanguinis maſsæ detractum eſt, novi chyli uberiore influxu compenſetur ſive reſarciatur. Chyli autem curſum poſſe ita per vices mutari, patet ex ſingulari & memoratu digniſſimâ hiſtoriâ, quam *Hippocrates* (*lib. 5. Epidem. num. 6.*) narrat de viro quodam in Oeniadis, qui cùm ad extremam propè maciem morbo extenuatus fuiſſet, & (præmiſſis ſæpè Catharticis) alimentis etiam eupeptis per plures dies aſſumptis, ne minimum quidem reficeretur, ſed indies magis magiſq; contabeſceret: ſectâ tandem per vices utriuſq; manus venâ, donec exſanguis fieret, à carnium abſumptione integrè liberatus fuit, & brevi ἐυσαρκῶ evaſit. Hujus enim admirandæ curationis ratio in hoc conſiſtere

fiſtere videtur, quòd per profuſiorem ſanguinis evacuationem converſo chyli flumine, quod antea ad cor fluxerat (unde reliquum corporis genio ſuo defraudabatur) deinde ſuccus nutritius partibus, utì par erat, impendebatur. Ac ob eandem rationem uſu venit, ut apud nos etiam, homines poſt ſæpe repetitam ſanguinis aphæreſin pingueſcere ſoleant. E *converſo*, nullam quidem video rationem, cur chyli rivulus à partibus nutriendis viciſſim, ad augendam ſanguinis maſſam (pro tempore ſaltem) non convertatur, diminuto interim ſucci nutritii proventu: hanc tamen quæſtionem, propter difficultatem, in medio relinquam; problematis hoc mihi loco objecti nodum duplici reſponſo ſolviſſe contentus.

Nondum tamen nobis licet de omnibus, quæ à ſagacioribus hîc objici poſſunt, difficultatibus victis triumphare: atq; cum excetra confligere videmur, cujus uno capite cæſo, alia ſtatim denuò excreſcunt. Supereſt nimirum adhuc explicanda quæſtio duplex: *quare* ſcilicet *catameniorum circuitus aliis mulieribus longiores ſint, aliis breviores; & quâ ratione per hypotheſin à nobis allatam ſolvi poſſint ſymptomata, quæ mulieribus menſium defectu laborantibus ingruere ſolent.*

De *Priore* igitur dicimus, periodorum dictarum in variis mulieribus varietatis cauſam optimè deduci poſſe ex hypotheſi noſtrâ.

Cùm

Cùm enim fluxus menſtruus ab æſtu & efferveſcentiâ ſeroſæ pravæq; ſucci alibilis materiæ, in tubulis uterinis congeſtæ, concitetur; certè quò citiùs ſufficiens illius quantitas inibi congeſta fuerit & in orgaſmum evecta; eò citiùs, vaſa uteri excretoria ad expulſionem irritando, menſtruam inducet evacuationem. Ut autem eadem materia citiùs aut ſeriùs in uteri loculamentis ad plenitudinem uſq; congeratur, & efferveſcat, variæ utíq; efficiunt cauſæ, victûs nempe ratio, vitæ genus, tempeſtas anni, regio, temperamentum, &c. quæ omnia cùm variis mulieribus ſint admodum varia, fieri vix poteſt, quin varium pariter efficiant vacuationum circuitum. Si aliquando contingit, ut circuitus menſem lunarem æquet; id indubiè fit ex accidente tantùm, haudquaquam verò ex aliquo Lunæ in uterum influxu; quem ſuprà merè fictitium eſſe oſtendimus.

Ad *Poſteriorem* quod attinet; ſymptomatum, quæ menſium ſuppreſſioni plerumq; ſuperveniunt, *inſigniora* ſunt quidem anorexia, nauſea, ventriculi dolor, dyſpnœa, laſſitudo ſpontanea, inamœnus faciei color, cephalalgia, febris lenta, & hæmorrhagiæ nunc è naribus, nunc è pulmonibus, aliàs aliis è partibus erumpentes. Hæc autem qui attentiore ac à prejudicii labe deterſo penſitaverit animo, ſimulq; partium ab iis præcipuè affectarum

ſectarum naturam & conditiones penitiùs introſpexerit: facilè (opinor) inducetur, ut credat, eorundem pleraq; ſaltem, ſi non omnia, potiore jure poſſe à *ſucco nutritio*, per diutinam in uteri tubulis ſtagnationem inſigniter depravato, indéq; per membraneas & nervoſas partes, cum eximio ipſarum damno, diffuſo, deduci; quàm à ſanguinis redundantiâ, quæ longè alia ſymptomata inferre, parteſque alias diverſimodè afficere ſolet. Recenſitorum hîc ſymptomatum prolixam ſi componere aggrederer ætiologiam; næ Lectoris & patientiâ abuti, & judicio diffidere viderer. Ex illis ergò unum duntaxat, illudque per noſtram hypotheſin explicatu difficillimum, ſeligam; ut inde, tanquam à ſpecimine, lucis nonnihil in cætera reflectatur. *Hæmorrhagiæ* nimirum, quæ variis è partibus corporis emicans, mulieres ex menſium ſuppreſſione languentes haud rarò infeſtat, quæque primo quidem intuitu videtur originem ſuam ſanguinis pleonaſmo in totum debere; rationem explicare conabor. Ubi ſeroſæ ac ſalium vegetabilium particulis imbutæ ſucci nutritii reliquiæ, in uteri loculamentis ſtagnantes, æſtuare & efferveſcere inceperunt; ſi earum eruptio & evacuatio à quacunq; causâ impediatur, ſanguis mox eodem æſtu exagitatus, conſimilemque concipiens orgaſmum, è capillaribus uteri venis

venis in majores remeans, reliquo ſanguini commiſcetur, & quam ipſe ſuſcepit efferveſcentiam toti maſſæ communicat. Hinc fit, ut univerſus ſanguis, motu expanſivo rareſcens, efferveſcat, vaſaq; diſtendat; dum fervor ille, qui circa uterum primùm ſentiebatur, refluente jam ad ſuperiora ſanguine, cum diſtentionis quodam ſenſu, per univerſum corpus diffunditur. Commotio hæc ſi aliquando conſueto aut vehementior fuerit, aut diuturnior; ſanguis ubique turgeſcens, & vaſa ſuprà modum diſtendens, nunc in hâc vel illâ parte retentus inflammationes parit, nunc effractis arteriolarum oſculis viam ſibi facit, erumpitque, aliquando per vomitum, aliquando per tuſſim, interdum è naribus, aliàs ex aliis partibus: idque ſine magno ſanitatis detrimento, dummodò hæmorrhagia brevi ceſſaverit. Unde prudenter *Hippocrates* (*Aphor.* 33. *Sect.* 5.) animadvertit, *Salutare eſſe, ſi mulieri, menſibus deficientibus, ſanguis è naribus profluat.* Quia nempe ſanguinis æſtu per hanc evacuationem extincto, brevi ceſſaturum eſt illius profluvium: & quia iſthoc effluxu majora inflammationum pericula vitantur. Credibile itaque eſt, etiam *hæmorrhagias* è variis partibus excitari poſſe, non ſanguinis ipſius primariò affecti culpâ, ſed vitio ſucci alimentaris, diutiùs quàm par eſt in utero ſtagnantis,

tis, & universam sanguinis massam æstu suo effero inficientis : quod mihi hîc probandum erat. Atq; hæc quidem de mulierum catameniis, horumq; causis & periodis dicta sunto.

CAPUT

CAPUT VIII.

Rheumatiſmi uterini *genealogia.*

A Naturali menſtruóque ad præternaturalem, & continenter, aut nullo ordine, nulloq; circuitu infeſtantem mulierum fluxum tranſeo. Fœdum illum dico affectum, qui miſellas mulieres triſtes, puſillanimes, ſegnes, elumbes, ſemper ſibi graves, viríſq; ingratas, & ſæpe etiam ſteriles reddit: quiq; ῥόος λευκὸς, & ῥόος γυναικεῖος *Hippocrati*; Latinis, *fluxus* ſive *fluor albus*, deſumpto ſcilicet à colore humoris plerunq; extillantis nomine, dictus eſt. Sapienter quidem ab *Hippocrate* (*l. de locis in homine*) dictum; Αἱ ὑστέραι πάντων τῶν νοσημάτων αἴτιαι εἰσίν, *uteri omnium* [muliebrium] *morborum ſunt cauſæ.* Affecto enim utero, totum corpus in illius κοινωνίαν, & contagionem trahitur, omniúmq; partium conſenſu affectarum, cerebri nimirum, cordis, hepatis, renum, veſicæ, ventriculi, inteſtinorum, & trium facultatum, animalis, vitalis, naturalis, exolutarum ſigna elucent. Affectuum autem hyſtericorum, quibus affligi ſolet infirmior ſexus, indubiè hic fluor omnium & frequentiſſimus, & deterrimus eſt, nec niſi longo præſidiorum uſu curatur.

A menſium profluvio longè diſtat, quòd ex utero non ſanguis, ſed corruptum quiddam prodeat, idq; συνεχῶς ferè, nec periodicè. Eſt autem id modò liquidum, albicans, & lactis ſero, aut ptiſanæ cremori perſimile; modò citrinum, aut pallidum; modò ſubviride, adeò acre ferè & adurens, ut quaſcunq; partes delabendo attigerit, erodat aut leviter exulceret: atq; id rurſum nunc tetrum eſt & graveolens, nunc odore nullo moleſtum. Prodeuntium itaq; odor, color, & ſubſtantia fluoris ſpeciem commonſtrat.

Qui de morbi hujus origine, naturâ, & cauſis cogitata ſua poſteris ſcripta reliquerunt, ſunt quidem propè innumeri, in unâ tamen opinione conſentire videntur omnes, cujus en tibi, *Lector cordate*, ſummarium exhibeo, " Natura ſagax, *inquiunt*, uterum " non modò ad conceptionem mulieribus " indidit, verùm etiam ad earundem repurga- " tionem, ita ut, velut ſentinam quandam, " eundem infrà collocarit, quò totius corporis " impuritates faciliùs confluere valerent. " Sic ſæpè capitis excrementa, ventriculi " cruditates, hepatis & lienis infenſi ſucci " delabuntur ad uterum, & his irritata na- " tura in expulſionem inſurgit: idq; eò con- " tingit faciliùs, quò uterus eſt imbecillior; " ſemper quippe fit humorum ad partes de- " biles delegatio. Quamobrem ex ipſius " fluoris qualitate, atq; excretorum inſpect-

" one, diligens Medicus dignoſcere poterit, " undenam ſit oriundus fluor: nempe ſi hu- " mores albidiores, cruditate, & lentore in- " ſigniti effluant, argumentum erit, illos è " ventriculo potiùs emanare: ſi magis aquo- " ſi ac pituitoſi, ab hepate; ſi nigriores, à " liene; quod *Hippocrates* obſervari præcipit " infectis panniculis, vel inſperſis arenis, ac " deinde arefactis. Haudquaquam tamen " dubitandum, quin valet interdum ex ipſo- " met utero malè affecto, inculpatis interim " reliquis viſceribus, conſimilis fœdatio con- " tingere. Quoties autem iſtue contingit, " fluxui ortum dat, vel uteri intemperies, " eaque ferè frigida & humida; vel imbecil- " litas ab uteri geſtatione, à partu difficili, à " contuſione, aut ab alia externarum cauſa- " rum vi contracta; vel eroſio, vel exulcera- " tio ex inflammatione, aut ex abſceſſu dere- " licta. His quippe cauſis oblæſus uterus, " propriumque alimentum malè conficiens, " excrementa multa progignit, quæ foras " elabuntur & excidunt. Internoſcuntur " cauſæ, quòd ex ſolo uteri affectu parcior ſit " fluor, & ejus affecti adſint indicia: at ex " viſcerum, totiúſve corporis affectu, fluor ſit " copioſus, nec malè affectorum viſcerum " notæ deſint. Atque hæc quidem ſuccincta eſt explicatio eorum, quæ in Medicorum libris fuſiùs traduntur de fluxûs hujus ortu, cauſis, differentiis, harumq; ſignis.

Cæterùm

Cæterùm in vulgari hâc doctrinâ mens avida veri, & omnia ſuis ponderibus examinare aſſueta, tutè acquieſcere nequit. Profectò adjungere fidem rebus incertis nullam debemus! & in Phyſicis cuique liberum eſt judicio ab iis diſcrepare, quos compererit, obſcura pro manifeſtis, conjectanea pro apodicticis, & pro jam exploratis inquirenda poſuiſſe. Quinimò, ſi *Gymnoſophiſtæ* cuidam *Alexandrum Magnum*, apud *Palladium* (*de Bragmanibus*,) alloquenti credimus, ἴσον ἐστὶ τὸ ψεύδεσθαι, καὶ τὸ ταχὺ πείθεσθαι· Ἀδικεῖ γὰρ ὁ ψευδόμενον οὐ πείθει, ἀδικεῖται δὲ καὶ ὁ πειθόμενος ψευδομένῳ, προσέχων πρὶν ἢ τ' ἀληθὲς μάθῃ: *idem eſt mentiri, & citò fidem adhibere. Mentiens enim illum, cui perſuadet, injuriâ afficit: injuriam etiam facit, qui credidit mentienti, priuſquam vera edidicerit.* Ne nos igitur temerè credendo ſimus vel nobis ipſis, vel aliis injurii; quæ de ſtillicidio hoc uterino è Practicorum voluminibus excerpta modò recitavimus, veris rationibus expendamus: ut nihil, niſi quod ad ſimilitudinem veritatis proximè accedit, amplectamur.

Exordior itaq; à *priore* fluoris albi ſpecie, quam deductum iverunt à cæteris viſceribus malè affectis, & ſeſe in uterum exonerantibus. *Primò*, incertum eſt, an Natura, dum œconomiam animalem inſtitueret, præcavendis morbis unquam proſpexerit: & plures, qui noſtra memoria viri celebres habiti

ſunt, ex profeſſo negavere. *Deinde* magis adhuc incertum, imò prorſus improbabile videtur, uterum, ſecundariâ Naturæ deſignatione, excipiendis, expurgandíſque inſervire totius corporis impuritatibus. Si enim ſentinæ officio fungeretur, certè nec ovula, ex ovariis in ipſius cavum propulſa, retineret ac foveret; ſed aut brevi corrumperet, aut à noxiorum humorum illuc jugiter confluentium contagione irritatus, citò expelleret, ſicque fruſtraretur conceptio: nec jam conceptum fœtum ullo, niſi impuriſſimo variiſque ſordibus inquinato nutriret alimento; & conſequenter eundem brevi perimeret; quorum utrumque Naturæ, quæ de ſpecierum propagatione perpetuò ac ſummoperè ſolicita eſt, providentiæ manifeſtè repugnat.

Secundò, millies quidem dictum, ſcriptúmque fuit, ſed nunquam ſatis probatum; exiſtere in corpore pituitoſos, bilioſos, & melancholicos humores excrementitios, à ſanguine diſtinctos, ſuíſq; locis ſeparatos: qui ex aliis in alias partes depluentes, mille morbis ortum dare ſupponuntur. At integrum jam præteriit ſæculum, ex quo obſoletum iſtud *Galenicorum* de humorum quaternione inſomnium fuit è ſanioris Pathologiæ finibus ejectum. In *ventriculo* quidem ſæpiſſimè reperitur humor quidam mucoſus, viſcidus, & ſubalbicans, cui *pituitæ* nomen Medicorum vulgus impoſuit: qui tamen reverà

aliud

aliud nil eſt, niſi ſucci chyloſi craſſiores reliquiæ, ventriculi tunicis adhærentes; nec humoris excrementitii nomen meretur, niſi ubi morâ ſtagnaverit, aut à frigore condenſata fuerit. In *hepate* ſimiliter *bilis* cernitur; ſed à ſanguine hepatis colatorio ſecreta, inque *veſiculam felleam* conjecta, ut inde in *Duodenum* amandetur. Et ad *Melancholiam* quod attinet, certiſſimum eſt, nihil eo nomine dignum uſquam corporis inveniri poſſe. Adeo uſque arenoſum ac inſtabile eſt ipſum illius, in cujus examine nunc verſamur, doctrinæ dicam, an fabulæ? fundamentum.

Tertiò, etiamſi conceſſum eſſet, humores albidiores è ventriculo, ſeroſiores ex hepate, & nigriores à liene ad uterum tranſmiſſos, inde fluoris albi ſpecie ſcaturire; quod hodiè nemo ſanioris judicii concedet: ſemper tamen quærendum reſtaret, *quomodo*, & per quas *vias* iſtiuſmodi recrementorum fiat è fontibus ſuis in uterum traductio & corrivatio; quandoquidem ductus, huic metaſtaſi efficiendæ idonei, Anatomicis hactenus nulli comparuerunt? Quicquid humorum aliunde ad uterum defertur, neceſſum videtur, eò vel per *arterias* adducatur, vel per exiles, concavaſq; membranarum *fibrillas* (è quibus totum ferè corpus contexitur) vel denique per *nervos*. Nam *venarum* officium eſt, ſanguinem refluum ad cor tranſducere; *Lym-*

phæductus pariter humorem tenuem ac ſeroſum à nutricatu ſuperfluum, ab utero in commune conceptaculum deferunt; & *tubæ Fallopianæ* ovulis tantùm ex ovariis in uteri cavitatem deducendis deſtinantur. *Arterias* autem nihil niſi ſanguinem inferre in uterum, notiſſimum eſt. Et ſanè conceptu perarduum eſt, per quas viarum ambages, viſcerum in infimo ventre ſitorum recrementa primùm in nervos, & deinde in uterum circumducantur. Reſtat igitur inconſpicua duntaxat via, nimirum per *membranarum fibrillas*: de hac autem doctrinæ hujus, quam trutinamus, Autores ne ſomniaſſe quidem unquam videntur. Nec eſt, cur quis dicat, humores illos ſanguini permiſtos ex arteriis in uterum effundi, & dum ipſius ſubſtantiam permeant, denuò à ſanguine ita ſecerni, ut, eo per venas cor verſus remeante, ſeorſum defluant in uteri cavitatem. Quoniam vix ratio aliqua excogitari poteſt, cur non & ſanguis eodem momento ſimul efflueret; præſertim cum notum ſit, eundem & è ſubtiliſſimâ cutis punctură illicò proſilire, & ſingulis menſibus ex utero emanare. Cùm itaque (ut dictorum capita, pro more noſtro, repetamus) ratio poſtulet ut credamus, neq; excrementitios illos humores, unde *rheumatiſmi* hujus uterini origo vulgò deducitur, in dictis viſceribus progigni; neque vias ullas, per quas iidem humores, ſi geniti eſſent, è ſuppoſitis

fontibus

fontibus traduci in uterum poſſent, Anatomicis etiamnum cognitas eſſe: his, inquam, ſeriò conſideratis, non video, quin ſit nobis liberum, doctrinæ huic jam examinatæ fidem denegare; aliámque aliquam excogitare, tum rectæ rationi, tum morbi ipſius phænomenis magis conſentaneam.

Ad *Poſteriorem* fluoris uterini ſpeciem, quam ſcilicet non aliunde quàm ab ipſomet *utero* malè affecto deducunt, quod attinet; ex iis, quæ de hujus primordio, cauſiſque, & differentiis vulgò docentnr, alia quidem magis, alia minus à veriſimilitudine videntur aliena. Nil tamen opus eſt, hæc vel illa ſigillatim examinemus. Quoniam ex iis, quæ mox dicenda ſunt, facilè *Lector* ipſe colliget, quantum fidei ſit ſingulis attribuendum. Interim nobis luſtranda veniunt morbi hujus *phænomena* varia; nempe ſymptomata, materiæ profluentis natura, & qualitates diverſæ, ejuſdémque mutationes; item tempora, quibus frequentiùs invadere aſſolet, cum aliis circumſtantiis. Horum enim omnium & ſingulorum notitia ad veram fluoris albi *hiſtoriam* componendam neceſſariò requiritur. Exordior itaq; à *temporibus*.

Tempora, quibus affectus hic μισογύνης primùm invadit, durat, intermittit, recurrit, ceſſat, omnia incerta ſunt ac indefinita. Invadere nimirum ſolet non ætate maturas tantùm, & uxores; verùm etiam virgines

necdum nubiles; quinimò interdum infantulas, nutricibus ipſo eo nomine pro infauſtis habitas adoritur. Nonnullis ingruit vitæ autumno, & poſtquam generationi eſſe aptæ deſierunt: cujus ſerotini fluoris ipſemet equidem ſingulare ac memoratu dignum obſervavi exemplum in vietâ quadam obſtetrice; quæ ſeptimum ſupra ſexageſimum ætatis annum jam ingreſſa erat, cùm primùm de hoc malo conquerebatur, quo diu poſtea gravitérque afflicta vixit. Ne *gravidis* quidem parcit, ſed earum quaſdam tunc magis, alias verò minus infeſtare ſolet: quinimò quædam toto graviditatis tempore immunes ſunt ab hoc fluxu, quæ tamen & priùs, & poſtea eodem fœdantur, vexanturq; maximè. Contrà reperiuntur aliæ, quibus idem fluor, quamdiu in utero gerunt, exiſtit moleſtior. Evenit autem, incipitve idem fluor frequentiùs circa tempus inſtantium primùm fœminis menſtruorum; atque ad ætatem uſque decrepitam in multis perſeverare ſolet. Adeo ut nulla ætas, nullus mulierum ſtatus ab ipſo immunis obſervetur: quandoquidem & *impuberes*, & *viro maturæ*, & *virgines*, & *uxores*, & *viduæ*, & *juvenculæ*, & *conſiſtentes*, & in *ſenium vergentes*, & *fertiles*, & *ſteriles* hoc malum magis vel minus patiuntur.

Utprimum invaſit, ſemper cum aliquâ patientis *moleſtiâ* obſervatur conjunctus; eâq; nunc

nunc majore, nunc minore, pro cauſarum, temperamenti, vitæ conditionis, & aliarum id genus circumſtantiarum varietate. Eidem autem aliquandiu perſeveranti graviora ſuperveniunt mala, quorum frequentiora ſunt, *virium dejectio*, *laſſitudo ſpontanea*, *crurum ἀδυναμία*, *univerſalis languor*, & *cachexia*: quibus interdum accedunt varii *dolores*, cùm circa *lumbos*, tum in *vilis*, per quas humor vitioſus (& tunc ſimul acer) delabitur. Sunt tamen, quas idem rheumatiſmus, longo tempore, abſque ullo incommodo, ſaltem valdè notabili, vexat: quamdiu ſcilicet & paucus exiſtit, & omnis fœtoris, acrimoniæque expers.

Humor enim, qui effluit, πολύμορφος eſt, temporiſq; progreſſu varias, & pravitatis gradu diſcrepantes induit qualitates. Ab initio ſemper *mitis* apparet & innocuus; deinde ſenſim *acris* & *mordax* evadit. Aliquando, ſed rariùs ab omni *fœtore* immunis exiſtit: Sæpiùs odore magis vel minus gravi nares inficit. Utplurimum *albidus*, ſubinde *flaveſcens*, rariùs *vireſcens*, rariſſimè *ſubnigricans*, extillat. *Conſiſtentiâ* pariter variat: nunc ſcilicet narium mucum *ſpiſſitudine*, ac lentore æquat; nunc adeo *tenuis* atq; ſeroſus prodit, ut *Lymphæductuum* laticem, aut lacrymas oculorum limpitudine æmulari videatur; nonnunquam *ſaniei*, rarò *puris* ex ulcere manantis ſpeciem præ ſe fert.

fert. Quibus tandem characteribus generalis hæc obſervatio ſubnectenda eſt; *fluorem hunc album nunquam, vel rariſſimè ſaltem ab initio eſſe acrem*: talem tamen utplurimum temporis progreſſu fieri.

Luſtratis ex ordine ſingulis privati hujus *rheumatiſmi* Phænomenis, hiſtoriâq; ipſius, quâ potuimus brevitate, fideliter, enarratâ; methodi ratio exigit, ut proximo nos loco accingamus ad vera ejuſdem *primordia* diligenter inveſtiganda; quò tandem tot, tamq; variis morbi ſingularis apparentiis ſuam cuiq; cauſam aſſignare poſſimus. Hoc autem ut faciliùs præſtemus, à *generali*, magiſq; manifeſtâ cauſâ diſquiſitionis telam exordimur. Sicut enim ad alios quoſcunq; effectus in rerum univerſitate producendos, ita pariter & ad progignendum hunc fluorem neceſſariò requiri, præter longinquam cauſarum ſeriem remotarum, *Materiam* ex quâ, & *Efficiens* à quo immediatè fiat; minimè dubitandum. Noſtrum proinde officium eſt, primùm affectûs propoſiti cauſam *materialem* ſive conjunctam (utpote quæ cognitu videtur facilior) indagare: deindéq; progredi ad inquiſitionem *efficientis*. Utrâq; enim inventâ, haud deſperandum eſt, quin valeamus tandem, ὡσεὶ ὀρθῷ κανόνι ϛοιχεῖν, & de integra quæſiti naturâ rectum ferre judicium.

Rheumatiſmi hujus uterini cauſa *Materialis* videtur

videtur quærenda in uno aliquo ex iis humoribus, qui, ex inſtituto Naturæ, ad uterum continuò affluunt. Hi autem omnino tres ſunt; *ſanguis* nimirum, *ſuccus nutritius*, & (quem pleriq; Medicorum *Spiritus Animales* perperàm vocant) *ſuccus* ſive nectar *nervorum.*

In *ſanguine* non quærendam, ſaltem non inveniendam eſſe fluoris albi materiam, vel ex eo evidenter apparet, quòd quamplurimæ mulieres hoc fluxu graviter & diu etiam laboraſſe obſervatæ fuerint, in quibus tamen ſanguis ab omni cruditatum vel dyſcraſiæ vitio, notabili ſaltem, deprehendebatur immunis. Id enim nunquam contigiſſet, ſi fluor aut ortum aut ſcaturiginem traxiſſet à qualicunq; ſanguinis labe. Idem porro demonſtrat ipſemet humoris effluentis *color*, qui utplurimum *albus* eſt: ſanguis autem ſemper *purpuraſcit*; nec unquam poteſt in *album* liquorem tranſmutari.

Quam inſignem utíq; & fundamentalem in Medicinâ, tam theoricâ quàm practicâ, veritatem aut neſciens, aut ex induſtriâ diſſimulans *Cl. Franciſcus Deleboe Sylvius* graviter hallucinatus eſt (*Prax. Medic. l.* 3. *c.* 4.) ubi fluorem album ideo à ſanguinis maſſâ, peculiari modo corruptâ, deduci debere docet, quòd ſanguis tum naturaliter mutatur in humorem album, quandò convertitur in *lac*; tum præter naturam quando corrumpitur in

pus.

pus. Reverà enim neq; *lac* è ſanguine conflatur, imò ne minimum quidem commercii cum eodem habet: neq; ſanguis ubicunq; reſtibilis (quicquid vulgò creditur) unquam ſuppurat, etiamſi extra vaſa profluxerit; & quidem pus ſucci alimentaris potiùs, quàm ſanguinis ſobolem eſſe, ipſe color albus indicio eſt. Quorum utrumq; *incomparabilis Entius*, unicus ævi hujus politioris literaturæ phœnix, firmiſſimis rationibus dudum jam comprobavit, tam in *Apologia* ſua *pro circuitu ſanguinis contra Pariſanum*, quàm in *Animadverſionibus in Cl. Thruſtoni Diatribam de Reſpirationis uſu primario:* ad quæ nobiliſſima ſummi viri monumenta, vel ære Corinthio perenniora, *Lectorem* proinde refero.

Præterea humoris fluore albo extillantis *fœtor* (quo utplurimum inficitur) manifeſto eſt indicio, eum non ad *ſanguinem*, quem nemo unquam (quod egò quidem ſciam) graveolentem deprehendit; ſed ad *ſuccum nutritium* pertinere. *Putor* enim ille à fæcibus ſucco huic etiamnum admixtis provenit. Et mihi indubium videtur, ſuccum iſtum nutricantem, ſi ob aliquam cauſam diutulè reſtiter, calórq; debitus adſit, mox in *pus* abire, & aliquando etiam *peſſimè olere*, imò nonnunquam *vermiculos* (quos ἕλμινθας vocant) aliáq; id genus progignere. Sic in defuncto animali, ſubitò vermiculi è naribus,

ribus, atq; oculorum hirquis promanant; qui è cerebri ſucco nutritio naſcuntur: quemadmodum docuit modò laudatus, & immortali laude digniſſimus *Entius.* Ex dictis itaq; rationi conſentaneum videtur, *ſanguinem* nihil materiæ ad fluoris albi geneſin ſuppeditare, ſed, prorſus alienum eſſe ab ejuſdem atrocitate.

Pariter omni culpâ vacare videtur *ſuccus* quoq; *nervorum,* qui ſuâ naturâ mitiſſimus exiſtit, continuóq; ſuo in partes influxu omnes & ſingulas recreat, invigorátque: tantum abeſt ut is vel minimam in hac tragœdia partem agat. *Secundò,* tam exigua nobiliſſimi hujus & ſpirituoſi liquoris copia è cerebro per nervos quotidie diſtribuitur, ut perennandæ rheumatiſmi uterini ſcaturigini neutiquam ſufficiat. *Tertiò,* Affectus omnes, qui à Medicis ſucci hujus vitiis attribui ſolent, non continenter & uno quaſi tenore infeſtant, ſed aut per intervalla certa vel incerta recurrunt, aut homines citò interimunt: fluor autem albus & ferè continuus eſt, nec niſi longo tempore, ſenſimq; necem infert. Hic igitur liquor, non modò non in judicium, de hoc fluxu; ſed ne in tenuiſſimam quidem maleficii ſuſpicionem eſt vocandus.

Cæterùm, ne quis hic liquorem hunc nectareum, è cerebro per nervorum canaliculos derivatum, cum reliquo ſucco alibili, per

alias

alias vias è ventriculo ad partes inde nutriendas delato, per errorem, confundat: quid ſit diſcriminis hunc inter & illum, oſtendere debemus. Quod melioribus auſpiciis ut præſtemus, expedit ad Hypotheſin *Entianam* recurramus, indè lucis nonnihil, ad illuſtrandum iſthuc Naturæ myſterium, mutuaturi. "Fertur (inquit virorum ſagaciſ-"ſimus) humor nutritius ex ore, atque e-"tiam è ventriculo (qui terræ, in planta-"rum alimoniâ, vicem gerit) ſurſum ad "cerebrum, tanquam ad radicem. Eſt quip-"pe homo, ut vetus dictum eſt, *planta in-"verſa*; cujus radix in ſublimi ſita eſt, rami "autem (brachia ſcil. pedéſq;) deorſum pro-"tenduntur. Ventriculus autem à cerebro "remotior eſt, quia duplici muneri famula-"tur: dum pars chyli tenuior, ſaléq; vo-"latili prægnans (velut per *Alembicum*) "ſurſum per œſophagum repit (unde ſalivæ "acrimonia) cerebrumq; adit: pars verò "oleoſa ac pinguior, venas lacteas, ceu per "retortam, ingreditur, *lampadi* materiam "idoneam ſuffectura. Ideóq; in vitæ pri-"mordio, cerebri ſtamina præ cæteris du-"cuntur: rectéq; ſtatuit *Hippon, caput pri-"mò fieri.* Et quemadmodum *tendo* eſt "muſculus conſtrictus, ob loci anguſtiam; "ita mihi *nervi* extructi videntur, ut ſuc-"cum alimentarium, quem membranæ per "loca aperta commodè devehere non pote-"rant,

" rant, tutò deferrent, —— Neq; ad hanc
" rem obſtant viarum anguſtiæ. Capilli
" concavi, & ut canales pertuſi ac perforati
" ſunt, adeo ut (referente *Petro Borello*,
" *Obſerv. microſcop. cent.* 1. *obſ.* 13.) pen-
" nas anſerum referant. Quanto igitur me-
" liore jure canaliculi nervis attribuantur?
" Quinetiam totum corpus animalis (ferè
" retis ad modum) ex concavis fibrillis con-
" texitur; quarum tubulos, plantarum more,
" ſuccus nutritius perlabitur: in ſpatiis au-
" tem intermediis, arteriæ, venæq; *choream*
" exercent. Utrobiq; per exiles villos, in
" interiore ventriculi atque inteſtinorum tu-
" nicâ lanuginoſâ conſpicuos, nutritionis ma-
" teria imbibitur. Tranſit nimirum chylus
" per venas lacteas ad *Receptaculum*, indéq;
" per *ductum thoracicum* ad cor perreptat,
" ut ſanguini ſuppetias ferat, deperditúmq;
" inſtauret. Tranſit alia chyli portio, & qui-
" dem tenuior, in canaliculatas jam dictas
" fibras, magnæ corporis parti commeatum
" ſuffectura. *Prior* ſuccus communiter eſt
" craſſior, quòd patentiores ſint meatus:
" *alter* verò, ob viarum anguſtias, tenuis eſt,
" ac fluidus; qualis ex oculis inter lacryman-
" dum profluit; *&c.* Luculenter itaq; ap-
paret, eam ſucci nutritii portionem, quæ ad cerebrum fertur, ab illa, quæ per fibrarum canaliculos ad cæteras partes deiſtribuitur, ſingulari hac prærogativâ diſcrepare; quòd

ſcil.

scil. *spirituosior* sit, salèq; *volatili* (salis *ammoniaci* æmulo) prægnans. Nec dubitandum esse arbitror, quin liquor idem generosus, à cerebro ipso ad sublimiorem adhuc nobilitatem exaltetur, novóq; virtutis charactere insigniatur, quo invigorandis tandem partibus idoneus evadat. Hujus igitur nobilitas tanta est, & portiuncula, quam uterus in dimensum suum indies excipit, tam exigua; ut inde fluoris albi scatebra neutiquam videatur deducenda.

Supereſt proinde tantùm *alter* succi nutritii rivulus, è ventriculo atq; inteſtinis, per cavos fibrarum tubulos, jugiter ad uterum delatus, cui fluxionem hanc uterinam potiore jure attribuamus. Hic enim mihi quidem rem attentiùs consideranti videtur, diutino rheumati materiam, & copiosam satis, & depravationi facilè obnoxiam sufficere posse. Et qui, in praxi Chirurgicâ aliquandiu versatus, quanta lymphæ, vel ichorosi laticis copia solet è fistulosis ulceribus, præsertim verò ex articulorum vulneribus, indies effluere, observaverit; simúlq; cognoverit, scatebram illam, non è vasis sanguiferis, sed è vasis *lactigerulis* aut *lymphæductibus* disruptis vel exesis, promanare: facilè, opinor, fatebitur, posse ex *utero* quoq (si modò is malè affectus ita fuerit, ut succum alimentarium ad se delatum, neq; probè conficere, neq; in tubulis suis detinere,

neq;

neq; per lymphæductus amandare queat, aſt eundem perfluere ſinat) parem ejuſdem liquoris copiam effundi. Gaudet quippe uterus ſuo ſucci nutritii dimenſo: imò uberiore illius affluxu, præcipuè in mulieribus necdum effœtis, quàm aliud ullum ex viſceribus, donatur; ob rationes ſuprà datas. Atque ad ejuſdem ſucci altilis *corruptionem* quod attinet; haud obſcurum eſt, eum, leviſſimis etiam de cauſis, à miti ſuâ benignáq; naturâ in illætabilem, & ſæpe in malignam quoque degenerare, ac multimodis depravari. Nimirum, ubi in corpore, præſertim in *membranâ carnoſâ* (utpote quæ in animalibus transferendo eidem potiſſimùm inſervit; quemadmodum cortex interior in plantis maximam nutricatûs partem tranſducit) ſupra modum luxurians, acrimoniam aliquam ſibi acquiſiverit, *pruritum* ſatis moleſtum inducit. Unde bubulci, experientiâ edocti, norunt pecora ritè ſaginari, & pingueſcere; ſi quando cutem lambere, aut eandem rei alicui duriori affricare viderint. Idem ſuccus intra ventrem inferiorem, ob πολυφαγίαν aut οἰνοφλυγίαν, pariter redundans, brevíque inter ſtagnandum acrior redditus; factâ alicubi rimulâ, vel ob glandulæ cujuſpiam in meſenterio abſceſſum, quod (obſervante conſultiſſ. *Entio*) haud rarò contingit; vel rupto, aut exeſo lymphæductu, in abdominis cavum delabitur, *hydropémq;* infert immedi-

cabilem. In habitu corporis etiam, ubicunque ſtagnaverit, mox craſſeſcit, ac putredinem facilè concipit; eóque variis, imò innumeris propè *tumoribus* ortum dat, atq; materiam: quæ nunc denſior, viſcidiórque exiſtens, ſuppurationem ægerrimè vel nunquam admittit; nunc verò citiùs ſeriúſve ſuppurans, puríſque formâ tandem erumpens, parentem ſuam confitetur. Hi autem tumores multifariam inter ſe differunt, majorémq; vel minorem ſortiuntur pravitatem, non tam pro locorum affectorum diverſitate, quàm pro majore minoréve materiæ, i. e. *ſucci nutritii*, corruptione, próq; diverſis modis, quibus humor iſte à priſtino genio defecerit. Interdum quippe uſque adeo depravatur, ut in cute aliquandiu retentus, *ſcabiem*, *pſoram*, *lepram*, *elephantiaſin*, φθειρίασιν, aliáq; id genus fœdiſſima mala procreet. Haud igitur de nihilo fuit, quòd incomparabilis *Entius* ſuccum alibilem, *corruptionis parentem* dixerit: quódq; Excellentiſſimus ævi hujus Mathematicus, *Jo. Alphonſ. Borellus* (de *Motu animal. part.* 2. *cap.* 21. *propoſ.* 225.) repudiatâ vulgari Medicorum, de Febrium ex ſanguine ortu, doctrinâ, potiore jure ſtatuerit, *Succum nervorum, ſolito redditum acriorem, nervos & cor irritando, cauſam eſſe primam & immediatam excandeſcentiæ febrilis.* Cui ſententiæ lucem fœnerant & fidem, quæ ipſe ego non ita pridem tradidi in *Prælect. Anatom. de*

cauſis

cauſis cordis pulſationem efficientibus. Sed ad inſtitutum ut me recipiam. Idem ſuccus nutritius, à genuinâ ſuâ benignitate degener, ſicut varias, & œconomiæ animali magis vel minùs infeſtas induit qualitates; ita & diverſis etiam *coloribus* apparet infectus, pro variis ſalium ac ſulphuris, quibus prægnans eſt, ſyzygiis. Aliquando nimirum lymphæ ad inſtar *pellucet*; ut in *hydrocephalo*, *hydrocele*, *hydatidibus*, & aliis id genus tumoribus aquoſis, ſero ſanguinis extravaſato vulgò aſcriptis: nunc *ſubrubicundo* lixiviæ colore obnubilatur; ut in *hydrope*: nunc ad remiſſam mellis *flavedinem* propiùs accedit; ut in *meliceride*: modò parùm recedit à ſebi *pallore*, ut in *ſteatomate*: aliàs pultis *leucophæam* ſpeciem æmulatur; ut in *atheromate*: rariùs *vireſcit*; ut in *lochiis*, & nonnunquam etiam in inveterato *uteri rheumatiſmo*, & *gonorrhæâ* virulentâ: rariſſimè verò *nigricat*; niſi credere liceat, ὑποχωρήματα μέλανα, *Hippocrati* (*Aphor.* 21. *l.* 4.) memorata, nigróq; notata carbone, feralem ſobolem eſſe ſucci chyloſi, peculiari quodam modo corrupti, atque ad chalcanthi naturam accedentis. Hoc enim-verò proximum vero videtur, éſtque Conſultiſſimi *Entii* judicium, "ſuccum altilem, eundem eſſe humorem, "qui in purgationibus alvive ſolutionibus, "medicamentorum irritatione, ſive vellica-"tione quâdam, è vaſculis illis exilibus [*con-*

"*cavis nempe fibrillis*] denuo in ventricu-
"lum & inteſtina revomitur. Nam quò mi-
"nùs id à *vaſis lacteis* præſtari poſſit, valvulæ
"earum videntur obſtare: minórq; etiam
"humoris illius eſt copia, quàm ut largis
"evacuationibus ſufficere queat. Nec magis
"ab *arteriis* profluere videtur: quoniam
"vix ratio aliqua excogitari poteſt, cur non
"& ſanguis, ſero illi optimè permiſtus, eo-
"dem momento ſimul efflueret. Jam verò
ut rationum à me hac de re adductarum mo-
menta ſub uno tandem aſpectu ponam;
cùm, præter ſuccum alibilem, humor inve-
niatur nullus, cui continua fluoris albi ſcatu-
rigo jure aſcribi queat; cúmq; idem ſuccus
nutritius, ad uterum jugiter ferè affluens, &
copiam fluori illi ſufficientem ſuppeditare poſ-
ſit, & multimodis ita *corrumpi*, ut diverſas
qualitates vitioſas, paritérq; diverſos *colores*
(quales in diverſis fluxûs albi ſpeciebus ob-
ſervantur) induat: his, inquam, ritè conſide-
ratis, nihil videtur obſtare, quò minùs fluoris
ejuſdem cauſa *materialis* à ſucco illo deduca-
tur.

Invento igitur fluoris hujus fonte, quærenda venit ejuſdem cauſa *Efficiens* primaria; nimirum unde proveniat, ut ſuccus nutritius, ad uterum delatus, in ipſo ritè non detineatur, ſed præter naturæ inſtitutum, continenter perfluat. Hæc autem cauſa, in *univerſâ* ſucci nutritii maſsâ, quomodocunq; vitiatâ, non

non invenietur: quoniam quamplurimæ mulieres hoc fluxu laborare incipiunt, ubi proſperâ valetudine perfruuntur; quinetiam quædam eundem per multos annos, abſque ullo ſanitatis incommodo, patiuntur. Quorum tamen neutrum contingere poſſet, ſi tota ſucci nutritii maſſa vel leviter eſſet depravata. Et ubi corporis univerſi conſtitutio fuerit ſatis laudabilis, indubiè ſuccus alimentarius, à cujus bonitate ſanitas præcipuè dependet, pariter laudabilis exiſtit; ac proinde varia fluoris albi hyparxis ipſi ſucco alibili tunc minimè adſcribenda eſt, ſed cauſæ alicui eum in utero ſolo corrumpenti.

Ipſemet igitur *uterus* pro tribunali adducendus videtur. Cùm enim ſuccus nutritius non ſit cauſa primaria & adæquata fluoris albi; aliquando tamen in cauſa eſſe poſſit, ut effluens materia ſeroſior aut viſcoſior, mitior aut acrior, & hoc vel illo colore tinctus appareat: vera illius cauſa *efficiens* in utero ipſo conſiſtat, neceſſe eſt; & jure meritò quærendum, quomodo affectus ſit uterus? aut *quidnam præter naturam exiſtere poſſit in utero, à quo fluor hic exoriatur dependeátque?* Hoc verò ut certiùs faciliúſque inveniamus, nobis hîc ad catameniorum profuſiùs, diutiúſve quàm par eſt effluentium cauſas, ſuprà memoratas, reſpiciendum eſt: quoniam quædam ex illis fluori quoque albo ortum dare poſſunt. Commatis hujus ſunt *uteri* (1.)

ἀτονία, ſive *ſubſtantia juſto laxior reddita*, (2.) *glandulæ officii ſui immemores*, (3.) *lymphæductuum apertio*, (4.) *tubulorum membraneorum dilatatio*, vel *irritatio*, (5.) *exculceratio*. Harum quippe cauſarum qualibet oblæſus uterus, mox perpluit. Singularum itaq; rationes ordinatim explicandæ ſunt.

Primò, Uteri partium componentium *contextus*, qui naturaliter firmus exiſtit & compactus, ubicunque, & quâcunq; demum cauſâ ita laxatus fuerit, ut, deficiente fibrarum, vaſorumque his intertextorum *tenore*, pervius ac ſpongioſus ferè evaſerit: vix equidem fieri poteſt, quin imbibat, & (coli ad modum) tranſmittat tenuiorem illam ſucci nutritii, illuc delati, partem, cui (utpote ab uteri nutricatu ſuperfluo) in ſanguinem deferendo lymphæductus deſtinati ſunt. Humor autem iſte ita per bibulam uteri ſubſtantiam tranſmeans, foráſque continuò elabens, fluorem album quidem conſtituit, ſed mitem, omníſq; acrimoniæ expertem, niſi acoris quidpiam humori jam delapſuro aliunde acceſſerit. Cæterùm variæ ſunt ἀτονίας hujus uterinæ cauſæ, tum *procatarcticæ*, tum *antecedentes*. Aeris nimirum intemperies frigidior ſimul ac humidior, ſive à regione, ſive à ſitu, ſive ab anni tempore, ſive à cœli ſtatu talis exiſtit. Fotus, balneáque emollientia & relaxantia frequenter uſurpata. Aquæ aut cereviſiæ tenuioris potatio, fructuum ingur-

ingurgitatio horariorum, vitæ genus desidiosum & sedentarium, compotationes nocturnæ, &c. item ἄτακτος καὶ συχνοτέρα καταμηνίων κάθαρσις: unde usu venit, ut crebriori ac diuturniori mensium fluxioni succedat ῥόος γυναικεῖος. His accedit violenta uteri distentio à partu laborioso atque difficili, quum vel grandior fœtus, vel obliquè situs, nimio conatu excluditur; in quo totus uteri contextus ita laxatur, ut fibræ sese, restitutionis motu, contrahendo, non nisi longo tempore pristinum possint tenorem recuperare. Unde sæpiùs contingit, ut partui difficili fluor albus mox superveniat: facilè tum ex evidente causâ, tum ex humoris extillantis insontiâ internoscendus.

Secundo, Uteri fibrarum & vasculorum reticulari contexturæ passim interseruntur *glandulæ* quædam exilissimæ, à Curiosissimo *Marcello Malpighio*, in *Epist.* singulari ad *Cl. Jac. Sponium*, descriptæ: quarum officium est, tenuiorem, & ab uteri nutritione superfluam succi nutritii partem secernere, móxq; in lymphæductuum canaliculos amandare, ut in sanguinem (ad crassamentum ejus diluendum) transferatur. Hæ autem glandulæ, quoties vel diutinis obstructionibus (quibus facilè sunt obnoxiæ) vel vehementiore frigore, vel contusione fortiore, vel exulceratione ita affectæ fuerint, ut munus illud rectè obire nequeant: toties necessariò fit, ut latex ille, qui aliàs per lym-

phæductus regeritur, in uteri porulos & cavernulas ſe inſinuans, ſibíque viam faciens, in uteri cavum delabatur, indéque, fluoris albi ſpecie, excidat; quemadmodum *aſcites* etiam à glandulæ cujuſpiam in meſenterio vel contumaciore obſtructione, vel tumore ſcirrhoſo, vel exulceratione ſolet exoriri. In hac fluoris albi ſpecie, humor emanans utplurimum acris eſt, naribúſque ingratum expirat odorem; fortè ob tardiorem ſuam per uteri anguſtias tranſmeationem.

Tertiò, Similiter, ſi ex *lymphæductibus*, qui uteri ſubſtantiam ſparſim perreptant, quiſpiam vel diruptione, vel corroſione, aut aliâ quâcunq; violentiâ apertus fuerit: fieri certè nequit, ut officio ſuo ampliùs defungatur, *i. e.* ut ſucci nutritii pars dilutior & ſuperflua, per illum in chyli lymphæq; commune *Receptaculum* rectè ac ex naturæ præſcripto regeratur. Eſt enim planè neceſſarium, ut liquor ille, in uteri ſubſtantia relictus, novíque affluxu indies auctus; aut ſtagnando hydropem uterinum inducat, aut ſenſim permeando fontem fluori albo aperiat. Nec procul abeſt à ratione, ingentem illum ferèq; prodigioſum in cornubus uteri hydropem, quem Cl. *Nicol. Tulpius* (*Obſervat. Medic. l.* 4. *c.* 44.) accuratiſſimè deſcripſit, ortum ſuum non aliunde, quàm ab apertione lymphæductuum, traxiſſe. Et meâ quidem ſententiâ, omnis uteri hydrops eidem origini debetur.

debetur. Cauſæ autem, à quibus aperiri ſolent lymphæductus, vel *externæ* ſunt, vel *internæ*. *Harum* in claſſe cenſentur, ingens ſucci nutritii plethora, vel vehementior ejuſdem acrimonia; altera quippe diſtendendo, altera erodendo tenuiſſimam lymphæductuum tunicam, facilè aperturam facit: & immoderata uteri diſtentio, ſive à grandiore fœtu, ſive à partu laborioſo facta; quæ poteſt lymphæductus adhuc faciliùs dilacerare. *Illarum* verò catalogum complent contuſio, vulnera, & vehementior concuſſio uteri, præſertim tempore graviditatis. Quæcunq; fuerit fluoris albi hinc oriundi cauſa antecedens, humor ex utero promanans parum aut nihil differt ab illo, qui glandularum lymphæductibus famulantium vitio effunditur. Hæc itaq; fluoris albi ſpecies, à priori vix poteſt, niſi ex cauſis evidentibus, diſtingui.

Quarto, Quantum, & quomodo *tubulorum uterinorum* vel magna *dilatatio*, vel vehementior *irritatio* valeat, ad fluorem album brevi inducendum, facilè colligi poteſt ex iis, quæ ſuprà de catameniorum aut profuſe, aut intempeſtivè, aut diutiùs fluentium cauſis dicta ſunt. Æquum eſt tamen, paucula hîc, de fluoris muliebris ex hoc fonte promanantis naturâ, addamus, quò res tandem planior reddatur & illuſtrior. "Mulier quæ-"dam (narrante *Fernelio*, ſæculi ſui Æſcula-"pio, de *Part. Morb. & Sympt. l. 6. c. 15.*)

"hydrope

"hydrope uterino correpta, quoties appete-
"bat menſtrua purgatio, omnem aquarum
"colluviem ex utero per cervicem profun-
"debat, pelvéſq; ſex aut octo implebat aquâ
"citrinâ ferventiſſimâ, dum venter totus ſub-
"ſideret. Collecta proximo menſe par col-
"luvies, ſtato dein tempore profluebat. Mox
"dein menſes inſequebantur ex naturæ præ-
"ſcripto. Hæc tandem perſanata uterum
"geſtavit, peperítque benè vitalem fœtum.
Singulare quidem, & conſideratu digniſſi-
mum hydropis uterini exemplum: vix ta-
men à *Fernelio* ipſo ſatis intellectum. Is
enim quamcunq; hydropis uterini ſpeciem
ſtatuit, aut ab aqua ex abdominis cavitate,
per cæcam & inuſitatam viam, in uterum ſe
penetrante; aut à ſanguinis ſero è venâ cavâ
eôdem inſtillato, eſſe deducendam: cùm re-
vera incredibile videatur, ullam hydropis hu-
jus ſpeciem poſſe ab alterutrâ cauſarum effi-
cientium hîc aſſignatarum produci. Non
certè à *priore*; non ſolùm quia nullæ Anato-
micis hactenus innotuerunt viæ, per quas ab-
dominis γάλακτυσμὸς in uteri cavitatem poſ-
ſit derivari (& ſanè ſi tales darentur, *aſcites*
multo minus exitialis foret mulieribus, quàm
viris;) verùm etiam quia, id ſi fieret, in ſe-
quiore ſexu, *hydrops hyſtericus* ſemper, ut-
plurimum ſaltem, *aſcitem* aut comitaretur,
aut brevi ſequeretur; quod tamen rariſſimè,
ſi unquam, contingit. Neque etiam à *poſte-*
riore;

riore; tum quia *venæ cavæ* officium eſt, ſanguinem ſero permiſtum ad cor reducere; tum quia conceptu perarduum eſt, quomodo poſſit ſerum ex eadem venâ in uteri cavitatem inſtillari. Si enim rimula eſſet alicubi in aliquo ex *venæ cavæ* ramulis ad uterum pertingentibus facta; per eam indubiè & ſanguis ipſe ſimul efflueret, in ægrotantis perniciem. Et ad διαπήδησιν confugere, res adeo ridicula eſt, ut vel *Heraclitum* ſolvat in cachinnum: niſi quis velit, cum *Galeno* (κατὰ τόπους *l.* 5.) διαπήδησιν ſumere pro ῥήξει. Præterea, ſanguinem omnes per venas ad cor, motu etiam rapidiſſimo, recurrere, hodiè notiſſimum eſt: in tam rapido autem torrente, nullus videtur partium heterogenearum ſegregationi locus. Veriſimilius igitur mihi videtur, mulieris hujus ὕδερον ὑστερικὸν ortum ſuum immeditatè ſumpſiſſe, aut à lymphæductibus, aut à tubulis uterinis præter naturam apertis, concurrente uteri oris arctiſſimâ clauſurâ. Undenam enim tam ingens aquarum copia, ſingulis menſibus, in uterum poterat derivari; niſi ſucci nutritii pars dilutior (quæ ex naturæ inſtituto, per lymphæductus regeri debebat) in uteri cavum depluiſſet; ídq; ob aliquod vitium, vel in lymphæductibus, vel in glandulis iis famulantibus, vel in tubulis deniq; uterinis, conſiſtens? Profectò arbitror, præter ſucci nutritii lympham, alium tam copioſi depluvii fontem

tem inveniri poſſe nullum. Et quodnam aliud partium dictarum vitium hîc damnandum occurrit, præter *apertionem*? De re tam craſſis circumfuſâ tenebris nihil certi ſtatuere, tantùm opinari licet. Quantum itaque ex rariſſimi hujus hydropis phænomenis, à *Fernelio* deſcriptis, animi mei augurio colligere poſſum; mulier hæc ideo in hydropem uterinum incidiſſe videtur, quòd in eâ, ſucci nutritii lympha, in uteri cavum, ob tubulos ultra modum dilatatos, continenter delabens, inibi per menſem integrum, uteri orificio interim obſignato, detineretur. *Primò*, culpam in *tubulos dehiſcentes* transfero, tum quia per eos cujuſlibet humoris major copia defluere poteſt, quàm per meatus inconſpicuos, ſive fibrarum atque vaſorum interſtitia; tum quia uteri propria ſunt vaſa excretoria; tum quia in hac muliere, hydrops menſibus ſingulis expurgaretur. Fœminis quippe fluore albo, ex tubulorum dilatatione, laborantibus, hæc duo ferè propria videntur: ut fluxu copioſiore, quàm cæteræ, vexentur; utque idem fluxus, appetente catameniorum tempore, augeatur. Adde, quòd eadem fuerit tandem perſanata: quod vix contigiſſet, ſi morbus ortum duxiſſet à lymphæductuum diruptione, quæ unq; rarò, aut nunquam ferruminatur. *Secundò*, uteri quoq; *orificium*, ut ſocietate criminis implicatum, accuſo. Illud enim niſi conſtrictum

ſtrictum fuiſſet arctiſſiméq; clauſum, procul dubio continuum lymphæ depluvium, non hydropem, ſed fluorem album induxiſſet. Conjecturæ hujus ratio in propatulo eſt: quoties nimirum, inſtante menſium tempore, uterus ſe, orificio recluſo, per cervicem, aquarum colluvione exonerabat; toties evaneſcebat hydrops, ventérq; totus detomeſcebat. Documento manifeſto, uteri clauſuram, hydropis hujus cauſam immediatam fuiſſe. Nec refragatur aquarum periodicè profuſarum aut *color* citrinus, aut inſignis *fervor*. Quoniam & hydropicorum aquæ (quas eſſe ipſummet ſuccum nutritium, ſuprà oſtendi) eiſdem periter qualitatibus inficiuntur: indubiè ob diutinam ſtagnationem. Et in fluore etiam albo, quod extillat, ſæpe tunicam linteola colore citrino tingit, tum adeo acre exiſtit atq; adurens, ut vias per quas delabitur, pelliculâ denudet.

At verò, *inquies*, quæ hîc de tubulorum uterinorum hiatu, déq; fluore albo inde ſubnaſcente dixiſti; quomodo conſiſtere poſſunt, cum ſuperiùs traditâ Hypotheſi, quam ad explicanda catameniorum phænomena excogitâſti? Statuit enim hypotheſis iſta, ſeroſam pravámq; ſuci nutritii materiam, in uteri tubulis & cavernulis, tempore fluxibus menſtruis intermedio, congeſtam, ſtagnando acrem factam, tandémque æſtu proprio turgeſcentem, eſſe cauſam catamenia periodicè

dicè concitantem. Nunc autem tutemet conjectas eandem materiam, per eoſdem tubulos nimium dilatatos delapſam, mulieri Fernelianæ hydropem intuliſſe uterinum: quæ tamen menſtruas purgationes ritè fellcitérq; patiebatur. Huic verò, ſi tubuli illi nimium quantum hiaſſent, defeciſſet mox cauſa catameniorum efficiens, & conſequenter catamenia quoq; defeciſſent. Alterum igitur ex hiſce duobus tibi neceſſariò concedendum: ſcilicet, aut veram & adæquatam catameniis cauſam efficientem à te, in hypotheſi tuâ, non aſſignatam fuiſſe; aut aliam quandam in hac muliere fuiſſe, quæ efficiebat, ut menſibus ſingulis expurgaretur.

Reſpondeo itaque, minimè neceſſarium videri, ut alterutrum concedam. Fieri enim poteſt, nec à veriſimilitudine abhorret, ut ex tubulis dictis alii nimium dilatati ſint, aliis interim naturalem ſuam ſervantibus anguſtiam. Et etiamſi eorum pars major ita dehiſcat, ut lymphæ majorem partem jugiter perfluere ſinant: reliqui tamen ejuſdem liquoris tantum retinere poſſunt, quantum ſufficiat catameniorum fluxui ſtatis periodis excitando. Quod uſu venire arbitror in omnibus fœminis, quæ hac ſpecie fluoris albi vexantur. Quoniam ſi in his tubuli omninò nulli dehiſcerent, lympha vix viam inveniret in uteri cavitatem: ſi autem hiarent omnes, menſes exin ſupprimerentur, propter cauſæ,

ad

ad ipſos concitandos requiſitæ, defectum. Haud vanum igitur eſt credere, in hujuſcemodi fluxu albo, tubulorum alios impenſè dilatatos eſſe, aliis eodem tempore illæſis: indéq; contingere, ut mulieribus eodem affectis menſtruæ purgationes ordinatim recurrant; útq; gravidæ etiam uteri rheumatiſmo laborantes, non tamen abortiant.

Cæterùm explicatis ad hunc modum, quæ in muliere Fernelianâ occurrebant, phænomenis; ſcias oro, *Lector cordate*, ideo me totam ejus hiſtoriam huc tranſcripſiſſe, quia hujuſcemodi rebus obſcuris exempla plus lucis afferre ſolent, quàm nudæ ratiocinationes; & quia exemplum aliud invenire potui nullum, quod æquè luciferum ſimul, & præſenti occaſioni congruum videretur. Eſt ergo, cur prolixitate delinquenti mihi humaniter ignoſcas.

Reſtat etiamnum explicanda fluoris albi ſpecies illa, cui poſtremum in quinariâ hac claſſe locum aſſignavi: nimirum quæ à *continui ſolutione* oritur. Hujus cauſa *proxima* eſt vaſculorum, tum ſanguiferorum, tum lactigerulorum, in aliqua uteri parte, vel *diruptio*, vel *exeſio*, modò ſimplex, modò ulceri conjuncta; quod nonnunquam in utero, ſæpiùs in ejus cervice conſiſtit. Quoties enim vaſculorum dictorum aliquot ſive laceratione, ſive corroſione, ſive aliâ ullâ violentiâ ſuam amiſere continuitatem: toties fieri certè nequit,

quit, quin quos ferunt humores mox effundant. Et quanto plura vel pauciora sic oblæsa fuerint, tanto copiosior vel parcior insequetur humorum effluxus. Quum simplex est *exesio*, facilè ex his characteribus internoscitur. Quod utero extillat, nunc serosum, nunc cruentum, interdum sanioſum & acre; sed neq; subviride, neq; graveolens deprehenditur. Adhæc, stillicidium parcè ac tenuiter, nullóq; ordine delabitur: idq; aliàs assiduò, aliàs ex brevioribus intervallis. Adest denicq; aut nullus, aut obscurus dolor. Sin verò *Vlcus* adest; depluvium aliquando sanioſum, sæpe purulentum, sæpissimè odore tetro, naréſq; acore quodam feriente, odioſum existit: comitémq; sibi semper habet dolorem vehementem, immisſo præsertim digito deprehenſum. *Vtriusq*, i. e. tam exesionis, quàm exulcerationis causæ *antecedentes*, passim apud Medicinæ practicæ scriptores prostant cognoscendæ. Insidiarer itaque temporibus tuis, *Lector candide*, quæ melioribus consecrasti; si illis hîc recenſendis nugatoriè immorarer.

Cæterùm exigit à me sanctæ veritatis amor, ut unicum illud fioco pede non pertranseam; scilicet Cl. *Franciscum Deleboe Sylvium* longè de viâ rectâ deflexisse, cùm (*Prax. Medic. l.* 3. *c.* 4.) docuerit, *fluorem album à fermento*, hoc est, *humore præter naturam in utero existente ac hærente*, acidi-

tatisq;

tatiſq; *vitioſæ*, *vitiantiſq*; *conſorte*, *tanquam cauſâ* primariâ: & ſecundariò, *ab ipſo ſanguine ad uterum delato*, & *in ejus cavernulis à fermento illo acido corrupto*, *tandémq*; *mutato in humorem album ac pituitæ ſimilem*, *ſemper deducendum eſſe*. Hac enim doctrinâ nihil fingi falſius & fallacius poteſt. Nam (1°.) *fermenti acidi* in utero nidulantis commentum, ſuperiùs argumentis omni luce clarioribus refutavi. (2do.) Nulla fluoris albi ſpecies ab initio vel leviſſimæ aciditatis conſors deprehenditur. Verum eſt quidem, eundem fluorem temporis progreſſu tandem magis vel minus fieri acrem: ſed æquè verum eſt, acrimoniam iſtam non aliundè quàm à ſeroſâ ſucci nutritii parte, ob diutinam in uteri cavernulis ſtagnationem, aceſcente proficiſci; quoniam aceſcere inter ſtagnandum, non ſanguini, aſt ſucco duntaxat nutritio competit. Tantum igitur abeſt, ut acrimonia acida ſit fluoris albi cauſa efficiens & primaria; ut è contrario, pro ejuſdem conſequente ſeu effectu debeat haberi. (3°.) Sæpiſſimè dictum quidem audivi, in quibuſdam morbis ſanguinem inſigni acore infici ſolere: id tamen nullis (quod ſciam) vel rationibus, vel experimentis fidem exigentibus, hactenus pro certo conſtitit. Imò ſanguis, in vivo animali, ne minimæ quidem aciditatis unquam capax videtur: ſi ſanctiſſimo juxta atq; nobiliſſimo ſæculi

hujus Philoſopho D. D. *Rob. Boylio* fides adhibenda ſit. Is enim (*Hiſt. nat. ſang. human.* linguâ vernaculâ conſcriptæ *pag.* 117.) in hunc ſenſum diſſerit. *Etiam ſi mihi certò conſtaret* (*ſunt quippe rationes quædam, alibi à me allatæ, quibus de hac re etiamnum dubitare cogor*) *alimentorum concoctionem à fermento acido, undecunq; in ventriculum delato, fieri; eſſétq; proinde cur ſuſpicarer, particulas aliquot* acidas *cum ſanguine permiſceri poſſe: id tamen minimè impediret, quin ſanguinis humani ſpiritum ad* Alchalium volatilium *claſſem meritò referendum eſſe cenſerem. Quoniam tam paucæ particulæ* acidæ, *aut penitùs deſtruerentur à particulis* Alchaliſatis, *quæ in ſpiritu tantoperè abundant; aut certè hæ uſque adeo viribus præpollerent, ut vel inde nobis liceret, univerſam mixturam earum imperio adjudicare.* Idémq; confirmat (*ejuſdem libri pag.* 87.) ubi fuſiùs docet, ſanguinis humani ſpiritum ideo in ſpirituum volatilium *urinoſorum* (liceat mihi, precor, tanti viri veſtigia ad verbum uſq; premere) cenſum referri debere, quia eadem omnia præſtare poteſt, quæ talibus ſpiritibus propria perhibentur. Ex. gr. ſpiritibus acidis *nitri, ſalis*, vel aquæ forti affuſus, inſignem mox luctam excitat & effervescentiam. Adhæc, in ſyrupum violarum inſtillatus, colorem ejus in pulcherrimum virorem extemplo tranſmutat. Ex his itaq; patet, ſanguinem, ſpiritûs

ritûs ſui volatilitate, ab omni *Acoris* malitiâ & uſurpatione vindicari. (4°.) Etiamſi ſanguis eſſet aciditatis corruptelæ obnoxius, nunquam tamen ab illâ, aut aliâ quâcunq; cauſâ poteſt in humorem album. pituitæque ſimilem *tranſmutari*, ſive naturaliter, ſive præter naturam; ſeu in vaſis ſuis contentus, ſeu extravaſatus fuerit. Talis enim converſio utíq; impoſſibilis eſt: quemadmodum ſuperiùs ex Ornatiſs. *Entio* probavi. (5°.) Neq; etiam *corruptioni* tam facilè ac frequenter, quàm vulgò creditur, ſanguis cedit. Spiritus enim vitalis, à quo regitur ſimul & conſervatur, nec unquam corrumpitur ipſe, nec eum, durante vitâ, inſigniter corrumpi, i. e. à ſuâ naturâ, & qualitatibus ſuis ad vitæ ipſius perennitatem neceſſariis, alienari ſinit. Quinimò ſanguis (compertum narro) homini febre putridâ languenti per venæ-ſectionem detractus, & in phialâ vitreâ per annum integrum aſſervatus, nulla corruptionis indicia vel inſpicienti, vel olfacienti prodit. Huic rei lucem fœnerat & fidem memorabile illud experimentum à Nobiliſſimo *Boylio* factum traditúmq; poſteris *l. de ſang. human. hiſt. pag.* 124. quod latinè verſum, huc transferendum duxi. " Sanguinis humani " recens emiſſi drachmæ duodecim, cum " ſextâ parte ſpiritûs è ſanguine humano " chymicè extracti, in vitrum amplo ventre, " collóq; prælongo formatum infuſæ, inibi

" per menſes plus quatuordecim ſervaban-
" tur; vitri orificio interim ſubere ac ſigil-
" lari cerâ fideliter obturato. Quid dein-
" de factum? Aperto tandem vitro, compe-
" riebatur tam diu concluſus cruor, non ſo-
" lùm fluiditatem ſuam, ſed & floridè ru-
" bentem colorem retinuiſſe: ídq; ſine om-
" ni fœtore, alióve putrefactionis indicio.
" Unde credere licet, ſanguinis humani Spi-
" ritum eximiâ virtute *balſamicâ* præditum
" eſſe, &c. Eant nunc, quibus volupe eſt per ignaviam deludi, *Sylvióq;* credant docenti; *partem ſanguinis acidiorem, in cavernoſis uteri vaſis, fermenti pravi naturam induentem, ſanguinémq; ad uteri nutritionem continuè allabentem, paulatim poſtea corrumpentem; eundem in humorem pituitæ ſimilem tranſmutare: qui nutriendo utero inutilis, effluit,* fluorémq; album *producit.* At verò non eſt, cur demiretur quis, Cl. *Sylvium* (cujus tamen memoriam veneror, quémq; lubens agnoſco ſcriptis eruditis reip. Medicæ quamplurimum profuiſſe) in hac re à veritatis tramite deflexiſſe: utpote cui nihil ſolennius erat, quàm uniuſcujuſq; ferè morbi primordia deducere à *ſucco Pancreatico*, acidiore facto, & hoc vel illo peculiari modo depravato; dum interim prorſùs neſciret, verum *Pancreatis* officium eſſe, è nervoſo genere ſubacidum, inútilémq; ſuccum exhaurire, ínq; inteſtinum duodenum amandare,

dare, inde mox unà cum alvi fæcibus excludendum. Sed duram in ſe ſuſceperat provinciam; novam ſcilicet Pathologiam duabus *bilis* atq; ſucci *Pancreatici* columnis ſuperſtruere: ac ardua res eſt maximis etiam ingeniis, veritati ſimul & ὑποθέσει δυλεύειν.

Rheumatiſmi uterini *origine*, *cauſiſq*; tam *antecedentibus*, quàm *proximis*, atq; *primariis*, prout facultates noſtræ ferebant, jam tandem inveſtigatis; oſtenſiſq; tum ejuſdem *ſpeciebus* diverſis, tum *ſignis* cuíq; ſpeciei propriis, quibus inter ſe diſcriminentur: aliud nil diſquiſitionis hujus complemento videtur deeſſe, niſi ut peculiares quaſdem ſubjungam notas, quibus fluor iſte à *virulentâ* diſtinguatur *gonorrhœâ*, quam impura venus infligit, quæq; ſæpenumerò ſub fluoris albi ſpecie vel experientiſſimis Medicis impoſuit. Quare, ut extremum fabulæ actum peragam, conſulámq; tyronum utilitati, animadverto; βρομώδην γονόῤῥοιαν à fluore albo tum ſede, tum ſymptomatibus atq; ſignis evidenter diſcrepare.

Quippe in mulieribus, non uterus, nec ejus vagina gonorrhœæ ſedes eſt; ſed pars illa glandulis referta, & in inferiore, ac anteriore vaginæ parte, prope meatus urinarii exitum, ſita, quam *Herophilus* apud *Galenum* (*l.* 14. *de uſu partium*) *Proſtatarum* nomine primus inſignivit. Nec immeritò. Uteri enim vaginam ab urethrâ dextrè diſſe-

cando dividentibus in conſpectum venit ſubſtantia quædam membranoſa, & albicans, unius ferè digiti tranſverſi craſſitudinem æquans, totámq; extrinſecus cingens urethræ canalem: quam perreptant, & in quâ terminantur lacunæ illæ, ſive ductus conſpicui, qui in principio urethræ, & in inferiore vaginæ parte reperiuntur; quemadmodum cuiquam eos inflato aere diſtendenti facilè apparet. Adeo ut ſubſtantia iſta pro mulierum *proſtatis*, ſive *corpore glandaloſo*, virorum proſtatis analogo, rectè accipiatur. Idem *officii* etiam parilitas demonſtrat. Harum quippe munus eſt, in ſe excipere, acuere, demúmq; in libidinis ardore emittere tenuiorem ſucci nutritii illuc delati partem: quæ acrimoniâ ſuâ ſalinâ fœminas ad Venerem ſtimulat, uteríq; vaginam in coitu lubricâ voluptate titillat. Hîc igitur cæcutiit alioquin oculatiſſimus *Veſlingius*, qui (*ſyntagm. Anat. pag.* 73.) utero proſtatas glandulaſas derogavit. Cæterùm ex his tantum Proſtatis gonorrhœam ſcaturire, hoc mihi validiſſimo argumento eſt; quòd in mulieribus vitio illo ſædatis, & poſt mortem diſſectis, proſtatæ ſemper comperiuntur exulceratæ, ſaniémq; viroſam compreſſu expuentes.

Adhoc, in viris, Proſtatæ propria ſedes ſunt gonorrhœæ: cur igitur non & in mulieribus, cùm in utroq; ſexu proſtatarum & ductuum eadem ferè ſit ſubſtantia? Accedit

cedit memoratu digniſſima *Regneri de Graaf* obſervatio (*l. de Mulier. organis pag.* 140.) *Gonorrhœam*, inquit, *è glandoſo corpore provenire, & per lacunas circum, & in meatûs urinarii exitu collocatas, erumpere; cadaveris cujusdam mulieris hoc vitio infectæ, diſſectio palam fecit. Nam utero, ejúſq; vaginâ illæſis, corpus glandoſum, ſive proſtatas urethræ circumpoſitas, ſolùm malè affectas offendimus.*

Cognitâ jam gonorrhœæ viroſæ ſede, ad reliqua diſcriminis indicia progredior: quæ partim à materiæ extillantis qualitatibus, partim à ſymptomatibus, infectarúmq; mulierum querelis, partim à cauſis antecedentibus deſumenda ſunt. Quod per gonorrhœam veneream excidit, continenter aſſiduóq; fertur, ut in uterino fluore. Eſt tamen craſſius multò, atq; modò album, modò flavum, aut vireſcens, odore gravi moleſtum, acre & exedens: ac proinde rarò deprehenditur citra pudendi ulcus; ſemper ſibi comitem habet acerrimum urinæ ardorem, cum ſtranguriâ: ob inflammatam, ſæpéq; excoriatam urethræ extremitatem. At nondum his notis certò poſſit ab uterino fluore internoſci: ſed hinc maximè, quòd prorumpentibus catameniis non deſinat, ſed cum his, & mox ab iis ſimiliter perſiſtat: uterinus verò fluor ceſſet in menſium eruptione, & aliquanto poſt tempore. Adhæc, fluoris albi materia, alteram in gonorrhœâ manantem

quantitate longè excedit. Quæ hoc vitio polluuntur, non de lumbagine, ſed de incendio & acerbitate quadam pudoris ſinum quaſi adurente, quæ inter miendum exacerbatur, conqueruntur. Quinetiam luis venereæ ſigna ſe interdum produnt: neq; uterini fluoris indicia ulla cernuntur. Cæterùm qui certior eſſe velit, pudenda inſpiciat. Ita enim partes urethræ contiguas (in quibus lacunarum modò memoratarum exitus terminantur) mucoſâ quadam materiâ conſpurcatas, ac interdum etiam exulceratas deprehendet; reliquis vaginæ partibus interim rectè ſeſe habentibus: cujus contrarium in fluxu albo reperiri aſſolet.

Et hæc quidem de cauſis catameniorum, déq; rheumatiſmi uterini tum ſcaturigine, tum diverſis ſpeciebus, harúmq; ſignis diacriticis, tyronum gratiâ, dicta ſunto. Mihi enim, licet jam in ſenium inclinanti, licet profeſſione Medico, hominúmq; commodis ſincerè ſtudenti, ingratiſſimum tamen eſt in viâ hac lutoſâ ulteriùs progredi: & *Conſcia purpureus venit in ora pudor*, quòd argumento fuerim adeo immundo atq; nauſeoſo tam diu immoratus. Admonet itaq; modeſtia, ut inquiſitioni huic modum hîc finémq; conſtituam; amœnioribus animum, ſtilúmq; addicturus.

Epiphonema.

Epiphonema.

SI etiamnum expectas, *Lector humaniſſime*, ut, depoſitâ Philoſophi perſonâ, *Hippocratis* inſignia tandem reſumam, Medicúmq; decorè agam, veram uterinis affectibus antè dictis medendi rationem ac methodum ex hypotheſi noſtrâ deducendo, remediáq; præſcribendo ſingulis accommodata: ſcias velim, inſtituto id meo in præſentiâ diſconvenire. Statui enim mecum ab initio, de quæſtionibus hîc eventilatis *Phyſicè* tantùm agere: ídq; non ſolùm ut, opuſculo hoc in publicam lucem emiſſo, Eruditorum de opinionibus meis paradoxis judicia expertus, rectiùs poſſem de illarum ſoliditate determinare, priuſquam ad *therapeuticen* eiſdem ſuperſtruendam progrederer: verùm etiam quia medendi arte inſtructis nihil facilius eſt, quàm ex veris morbi vel ſymptomatis cujuslibet cauſis ſemel cognitis, genuinas deducere indicationes, propriáq; ſingulis præſidia adaptare. Medicus enim verè ſic dictus, etiam *Hippocratis* (περὶ τέχνης) judicio, ὃ δ' ἂν ἢ ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰαθῆναι: ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum. Præterea eſſe me dudum jam profeſſus ſum ex eorum numero, qui artis Hippocraticæ myſteria cum ſemiſciolis,

ſemiſciolis, & nefariis Empiricis commun icari indignantur. Nam ut *Religionis*, ut *imperii*, ut *legum*; ſic & *Medicinæ* arcana divulgando profanantur, vileſcunt, contemnuntur. "Hinc factum eſt, ut nullus pæ-
" nè hiſtrio, miles, circulator, nullus tonſor,
" chirurgus, balneator, mechanicus, merca-
" tor, aut ganeo inventus ſit, qui non mox in
" medicum, vel unâ nocte, fungorum more,
" excreverit. Hinc tot flagitioſorum homi-
" num κατάρματα, tot Principum deceptores,
" impoſtoréſque; tot humani ſanguinis hiru-
" dines, tot marſupiorum emunctores, veluti
" ex equo quodam Trojano, prodiere: adeo
" ut ipſemet *Hippocrates*, vir ille divinus, ſi
" ad vivos rediret, exclamare cogeretur, Me-
" dicinam omnium eorum inhoneſtè ſcalere
" cupientium agrum eſſe; nullúmq; hodie por-
" cum eſſe, qui in ejuſdem vineam roſtro ſuo
" graſſari non audeat. Quorum pleríq; fuere
" ſuæ profeſſionis deſertores, miniſtri πολυ-
" πράγμονες, ſacrorum apoſtatæ, pharmacopœi
" ad incitas redacti, ignavi opifices, aurifabri
" φιλάργυροι, circumforanei audaces, ſartores e-
" brioſi, ſtupidi fullones, dentifragi & tonſores
" garruli, patrimoniorum decoctores, aliiq;
" hujus farinæ vani, rudes, & imperiti homun-
" ciones; qui cùm bona ſua abligurierint, u-
" biq; ferè terrarum, tanquam muſcæ, cir-
" cumferuntur, grandia (ſi diis placet) ar-
" cana, panacæáſq; & elixiria ſua venditan-
tes.

tes. Cujus cacoethis generoſâ deteſtatione commotus *Franc. Sylvius*, durum Medicinæ fatum ita deplorat (*Prax. Med. append. tract.* 8.) *Ubiq; dolendum eſt, cum inſigni veritatis ac reipublicæ detrimento, tam multos reperiri, non dicam Chymicæ artis, ſed mutationum naturalium etiam paſſim obviarum ignaros ac imperitos, tantam etiam apud Rerum Dominos conſecutos autoritatem, ut ipſorum & inſomnia, & figmenta, & nonnunquam putida mendacia pro veris ac certis hiſtoricâ fide ab incautis hauriantur, admittantur, credantur, & mordicus defendantur; & non rarò, quod omnium peſſimum eſt, cum contumeliâ virorum in experimentis faciendis indefeſſorum, in iiſdem communicandis candidorum, adeòq; de Rep. tàm literariâ, quàm civili optimè meritorum. Tantum prævalet præjudicium, &c.* Huic itaq; non ſolùm Medicinæ, ſed & Regni totius carcinomati ut, quantum in me eſt, repugnem; certus ſum, nemini mortalium (niſi qui aut imperii gubernacula ſummâ tenuerit, aut ex ſymmyſtarum meorum numero fuerit) nobiliorum, longóq; mihi ac felici uſu cognitorum medicamentorum virtutes atq; formulas unquam detegere: prudentiſſimo huic Magni *Hippocratis* conſilio (in *Legis* clauſulâ tradito) religioſè auſcultans. τὰ δ' ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δ', ἢ μὴ μύσις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν

γίοισιν ἐπιστήμης : *res ſacræ ſacris hominibus demonſtrantur ; profanis id fas non eſt, priuſquam ſcientiæ orgiis initientur.* Solebant Veteres ἐν ἀπορρήτοις φυλάσσειν κυρίας δόξας, de rerum præſertim naturâ : ad quas vulgi captus tantum obbrutuiſſe videatur, ut *Ariſtoteles* ἀκροαματικὰ ſua ἐκδεδομένα καὶ μὴ ἐκδεδομένα rectè pronunciare potuerit. Ac ipſius utiq; Naturæ honeſtati uſq; adeo conſulendum videbatur, ne ſi gregi imperitorum nuda proſtitueretur, ipſam impuræ animæ ſequius concinnarent. Hinc *fabulas* Antiquorum & *ænigmata*, quibus rerum phyſicarum contemplationes obvelabant, τῆς φιλοσοφίας κόσμον, *Philoſophiæ ornamentum* vocat *Maximus Tyrius* (*diſſertat.* 29.) Hinc *Ægyptii* prope ſimulacrum *Iſidis* (quâ rerum Naturam adumbrabant) *Harpocratem* ponere ſoliti, qui labiis manu compreſſis ſilentium imperitaret. Hinc itidem Græcæ Δήμητρος, & Romanæ *Cereris* (quæ φυσικῶς eædem ac *Iſis*) ſacra, quæ Rerum Naturæ myſteria ſimiliter continebant, tanto cum ſilentio percepta legimus. Nil ergo mirum, ſi *Pythagoras*, qui non ſolùm in Ægypto *Zoroaſtrem*, omnis divini arcani antiſtitem, (teſte *Apuleio*, *florid. l. 2. pag.* 422.) præceptorem habuerat ; ſed & *Iſidi* fuerat & *Cereri* initiatus ; in Naturæ myſteriis taciturnitatem & didicerit & docuerit. In more enim poſitum fuit præceptoribus

toribus Orientalibus (quos *Pythagoras* imitatus eſt) à diſcipulis ſuis jusjurandum exigere fidei, ne quid ſecus traderent ſuis; & *taciturnitatis*, ne quid finerent in vulgus emanare. Hócq; σεμνὸν ὄρκον τῶν Πυθαγορείων appellat *Olympiodorus* in vita *Platonis*, quæ cum *Diogene Laertio* non multos ante annos *Londini* prodiit. Item *Clemens Alexandrinus* (*Centon.* 5.) de Pythagoricis loquens; *Noluerunt*, inquit, *obviis quibúſq; omnia inverecundè exponi, neq; communicari ſapientiæ bona iis, qui de animabus ſuis repurgandis ne in ſomniis quidem cogitaſſent: nec enim fas eſt vulgari cuiq; perrigere quæ tantis laboribus conſtant*, &c. Idem & de Medicinæ arcanis ſentiebat *Hippocrates*; uti luculenter apparet vel ex ipſâ formulâ ſanctiſſimi illius juriſjurandi, quo artis Appollineæ *Myſtas* ſive diſcipulos voluit ab initio ſolenniter *Epoptis* ſive præceptoribus obligari: cujus hic unus eſt articulus. *Juro me doctrum, præceptionumque, ac auditionum, reliquæq; totius diſciplinæ participes facturum, tum meos, tum præceptoris mei filios, imo & diſcipulos, qui mihi ſcripto caverint, & Medico jurejurando addicti fuerint*; ἄλλῳ δ' οὐδενί, *alii verò, præter hos, nulli.*

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

BOOKS Printed for *Walter Kettilby*, at the Sign of the *Bishops Head* in St. *Pauls* Church-Yard.

DR. *Charleton*'s Three Anatomic Lectures.
1. Of the Motion of the Blood.
2. Of the Organic Structure of the Heart.
3. Of the Efficient Causes of the Hearts Pulsation, 4to.

———'s Harmony of Natural and Positive Divine Laws, 8vo.

Dr. *Goodall*'s Royal College of Phisicians, 4to.

———'s College of Phisicians Vindicated, 8vo.

Dr. *Grew*'s Anatomy of Plants, Fol.

———'s Anatomy of Trunks, 8vo.

Webster's *Metallographia*; Or, An History of Metals, 4to.

Dr. *Sydenham*'s *Opera Universa, cum Indice Alphabetico*, 8vo.

Dr. *Jone*'s *De Febribus Intermittentibus*, 8vo.

Dr. *Lister De fontibus Medicatis Anglia*, 8vo.

Lossij Observationes Medicæ, 8vo.

Mayow Tractatus quinque Medico-Physici; *primùm de Sal nitro*, &c, 8vo.

Dr. *Smith*'s Portraicture of Old Age, 8vo.

Mr. *Burnet*'s Theory of the Earth, Fol.

———'s *Telluris Theoria Sacra*, 4to.

Memoires of the Family of the *Stuarts*, 8vo.

Mr.

Mr. *Lamb*'s Stop to the Course of Separation, *&c.* 8vo.

——'s Fresh Suit against Independency, 8vo.

H. More Opera Theologica & Philosophica, 3 Vol. Folio.

——'s Exposition on *Daniel*, 4to.

——'s Exposition on the *Apocalypse*, 4to.

——'s Answer to several Remarks on *Daniel* and the *Apocalypse*, 4to.

——'s Against *Butler* of Astrology, 4to.

——'s Reply to the Answer to his Antidote against Idolatry, 8vo.

——'s Against Judge *Hales* of Fluid Bodies.

Dr. *Hick*'s *Jovian*; Or, An Answer to *Julian* the Apostate, 8vo.

Constantius the Apostate, being a full Answer to *Julian* the Apostate, 8vo.

Plato's *Dæmon*; Or, An Answer to *Plato Redevivus*, By *Tho. Goddard* Esq; 8vo.

Dr. *Sherlock*'s Discourse of the Knowledge of Jesus Christ, with his Defence, 8vo.

Dr. *Falkner*'s *Libertas Ecclesiastica*, 8vo.

——'s Christian Loyalty, 8vo.

——'s Vindication of Liturgies, 8vo.

Fowler's *Libertas Evangelica*, 8vo.

Mr. *Scot*'s Christian Life, 8vo.

Dr. *Worthington*'s Great Duty of Self Resignation, 8vo.

Mr. *Kidder*'s Discourse of Christian Fortitude, 8vo.

Mr. *William Allen*'s Works in 4 Vol. 8vo.

Mr. *Hotchki*'s Discourse of the Imputation of Christ's Righteousness to us, and our Sins to him, 8vo.

Mr. *Needham*'s Sermons at *Cambridge*, 8vo.

Mr.

Mr. *Turner*'s Sermon before Sir *P.W.* 1681. with Additions, 4to.

Mr. *Graile*'s 4 Sermons at *Norwich*, 8vo.

Mr. *Hesketh*'s Perſwaſive to frequent Communion, 8vo.

——s' Diſcourſe, Piety the beſt Rule of Orthodoxy, 8vo.

Mr. *Hallywell*'s Account of Familiſm, 8vo.

——'s *Melampronea*; Or a Diſcourſe of the Kingdom of Darkneſs, 8vo.

——'s Sacred Method of Saving Humane Souls by Jeſus Chriſt.

Lord *Bacon*'s Eſſayes.

Gage's Survey of the Weſt Indies, with a new Map, 8vo.

FINIS.